6
8-b
2

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
5 G
11

Digitized by Google

[illegible]
[illegible]

[illegible]

Pitoni

6, Bib 2.

Digitized by Google

ELOQUENTIÆ PRÆLUDIA

SEU

COMPENDIUM EORUM

Quibus inſtitui, & exerceri ſolent

Qui LITTERIS HUMANIORIBUS dant operam, & RHETORICÆ initiantur.

EX ARISTOTELE, TULLIO, QUINTILIANO,

Aliiſque probatis Auctoribus

AD USUM

SEMINARII BONONIENSIS

Iterum evulgatum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BONONIÆ MDCCLII.

Ex Typographia Longhi. *Superiorum Permiſſu.*

IN ROMA

L E C T O R I

M O N I T U M.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIbellus ille, qui *Eloquentiæ Preludia* inſcribitur, a Demetrio Suppenſio Congregationis noſtræ erudito Viro, multo ante evulgatus; quum nova aliqua, utiliorique ratione recudi, & Adoleſcentibus præberi poſſe videretur: Diſertis id Viris probantibus, immo & poſtulantibus; is eſt, cujus paullo reformandi opera, cum Amicorum ſuaſione, tum Majorum juſſu, & auctoritate ſuſcepi. Ordinem ferme eandem retinui. Plura adjeci, quædam ſuſtuli, nonnulla amplificavi. Omnia exemplis ab optima latinitate accerſitis illuſtravi. Tullio autem, Ariſtoteli, & Fabio, eorumque præceptionibus, debere me fateor prope omnia. Sed & Voſſium perlegi, & Vincentii Galli, e Congregatione noſtra Rhetoris optimi, editas ante centum annos amplius, parum nunc quidem compertas, ſolertiſſimas tamen Inſtitutiones, quibus, & ea de meo adjeci, quæ ſcitu, ac notatu digna viderentur. Veteris autem libelli titulum retinere mallui, quam novuum ſufficere, propterea quod cupiam magis utilitati Adoleſcentum, quam mihi eſſe tributum. Quoniam vero BENEDICTI XIV. P. O. M. Imperio Seminarii hujus ſui Bononienſis regimen, mihi traditum, Viriſque e mea Congregatione delectis, Scientiarum in eodem, Litterarumque magiſterium decretum eſt; mearum eſſe partium duxi in hujus præcipue uſum evulgare: quem tamen & iis qui in Gymnaſiis noſtris ubilibet erudiuntur Adoleſcentibus conſcriptum volo, ceteriſque, ſi qui fuerint, qui cupiant hinc edoceri. Vale.

Vidit

Vidit D. Placidus Rambaldi Clericus Regularis Sancti Paulli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO XIV. Archiepiſcopo Bononiæ.

Die 30. Auguſti 1752.

Reimprimatur

Fr. Cæſar Antoninus Velaſti Provicarius Sancti Officii Bononiæ.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HUMANIORUM INSTITUTIONUM

LIBER PRIMUS

De Elocutione.

MUltorum non modo exemplis, verùm etiam argumentis optimis freti, ab Elocutione, quæ tertia ceteroqui Rhetoricæ pars eſt, exordimur. Nam certe, ut Fabius inquit: *quum ſit in eloquendo poſitum Oratoris Officium; dicere ante omnia eſt, atque hinc initium ejus artis fuiſſe manifeſtum eſt.* Verborum inſuper delectum, eloquentiæ originem Julius Cæſar apud Tullium aſſeverabat. [a] Verborum vero, Adoleſcentibus, quos inſtituere mens eſt, quam rerum, longe accidit cura facilior. *Inventio* ſane, ac *diſpoſitio*, Elocutionem natura præcedunt; Verum dent nobis Diſerti Viri, ut turbato quidem, at multo Tironibus faciliori ordine, rem aggrediamur.

I Quid eſt Elocutio, & quotuplex?

1 *Elocutio eſt idoneus uſus verborum, & ſententiarum ad ea, quæ mente concepta ſunt, explicanda.* (b)

2 Elocutio alia philoſophica, alia hiſtorica, alia poetica, alia epiſtolaris, alia dialogiſtica, alia Oratoria. De oratoria præcipue agemus.

A II

[a] *Cic. in Brut.* (b) *Cic. lib. 1. de Inv.*

II Quænam ſunt Elocutionis oratoriæ virtutes?

3 Tres ſunt. *Elegantia*, *Compoſitio*, *&* *Ornatus*. Elegantia ad delectum pertinet; Compoſitio ad collocationem; Ornatus ad dignitatem. Rem explico exemplo. Ut quis optimum ædificium conſtruat, primum oportet ut lapides, & opportuna cæmenta comparet. Secundo, ut hæc rite compingat. Tertio, ut compacta magnifice exornet. Sic ordo poſtulat, ut elegantiæ ſtudio, verba, ſententiæque eligantur; ut compoſitione, certa ratione innectantur; ornatu demum, pulchre, & decore illuſtrentur.

CAPUT I.

De Elegantia.

I IN quonam poſita eſt Elegantia?

1 In duobus; In *Puritate* videlicet, & *Perſpicuitate* ſermonis. De his ſingillatim dicturi ſumus.

De Puritate.

I QUid nomine *Puritatis intelligitur*?

1 Puritas generatim *eſt purgata dicendi ratio juxta uſum ſermonis, quo loqui volumus*. Sed Puritas Latinis dicitur *Latinitas*. De Latinitate autem hic loquimur, quæ conſiſtit in emendata loquendi ratione ad grammaticæ regulas; & in delectu, ac diſpoſitione verborum, Optimorum Scriptorum conſuetudini accomodata.

II Quænam vitanda ſunt ob delectum verborum?

2 Ea, quæ ſequentibus verſiculis continentur.

Sordida, priſca, nova, antiquata, poetica, dura,
Turpia, rara nimis, vel peregrina, cave.

1 *Sordida;* ideſt quæ notant res immundas, ut vomere, ructare &c. Hæc niſi vitari poſſint, circuitione utendum, ne aures lædant. Plautus *in Circulione*

Me dico ire, quo ſaturi ſolent.

& Varro apud Nonnium. = *Retrimenta cibi qua exirent, per poſticum vallem feci*. Hæc honeſte, & urbane dicta.

2 *Pri-*

2 *Priſca*; ideſt paullo vetuſtiora: ut actutum, ſuat, infit, danunt &c.

3 *Nova*; ideſt a lapſu latinæ linguæ inventa: ut *interim* pro interdum: *ſubinde* pro identidem &c. Multo magis ea cavere oportet, quæ apud Simmachum, Sidonium, & alios reperiuntur. Si aliquod accidat, quod latino careat nomine, periphraſi exponatur.

4 *Antiquata*; ideſt quæ ipſa vigente latina lingua in uſu eſſe deſiderant, ut *Topper* pro cito. *Manus* pro bonus. *Induare* pro dividere. *Calo* pro voco. *Taratantara*, quod Ennius poſuit pro tubæ clangore &c.

5 *Poetica*; ideſt quæ apud Poetas tantum in uſu ſunt: ut *Grates*, *Olli*, *Altum &c.* vel quædam compoſita: ut *Turecremus*, *Silvicola*, vel Patronimica: ut *Æacides*, *Anchiſiades &c.* Phraſes etiam permultæ Poetis familiares ſunt, quæ Oratoribus minime conceduntur. Præſtat tamen Adoleſcentes Poetarum lectione delectari, multum enim eloquentiam alere, & augere valent, quum plurima ſint Poetæ, ac Oratori prorſus communia.

6 *Dura*, ideſt verba aſperiora: *Scrobs*, *Scrupus*, *Frix*, *Strix*, *Araxes*, *Artaxerſes*. Quæ tamen ſingillatim adhiberi aliquando poterunt; vitandus tamen erit, cum aſperioribus litteris, ac vocibus, earumdem concurſus. Item ingentia quædam verba, ac ſeſquipedalia: ut *Sollicitudinibus*, *Conſtantinapolitani*, *Albedinibus &c.*

7 *Turpia*; ideſt, quæ obſcenum aliquid ſignificant. Sed his non contra latinitatem modo, verum etiam contra bonos mores peccatur. Quare qui Dei, naturæque hoſtis non eſt, is aut prorſus a turpibus abſtinebit, aut ſi quid neceſſario innuendum, id caſtiſſimis verborum involucris obteget.

8 *Rara nimis*; ideſt quæ apud unum, vel alterum Scriptorem, & uno, alteroque apud eumdem loco reperiuntur. Nonnulla hujuſmodi apud Salluſtium notat Seneca, epiſt. 114. ut illa: *Exercitum argento fecit*: *Aquis hiemantibus*: *Famas petit*, in quibus Arruntium pariter belli Punici Scriptorem Salluſtianum plus æquo fuiſſe inquit. Hac in re peccant perſæpe Adoleſcentes, qui in Librorum lectione quædam vel minus uſitata, vel minus caſtigate dicta

cta deprehendentes, hæc quæ ſibi maxime placent, in primis famæ captandæ cauſſa, ad imitandum ſuſcipiunt.

9 *Peregrina;* ideſt aliarum gentium vocabula: Barbara videlicet, & exotica. Hinc neque græca, neque etruſca latinis commiſcenda ſunt. Dicebat enim Cicero *Lib. de finib.* = *Equidem ſoleo etiam, quod uno Græci, ſi aliter non poſſum, idem pluribus verbis exponere.* Adeo in hac re Tiberius accuratus extitit, ut *Monopolium*, in Senatu dicturus, ſibi quod peregrino verbo utendum eſſet, veniam poſtulaverit. Si qua Peregrini Scriptoris ſententia adducenda ſit, eam in latinum verti ſermonem, Tullii exemplo, decebit.

Hæc oſtendunt quantum ab antiquis recedant, qui oſtentationis gratia græca multa, etruſca, aliaque interdum exotica infarciunt. Sane Horatius Lucillium ipſum [a] vellicat = *quod verbis Græca Latinis miſcuit.*

III Quid circa verborum diſpoſitionem obſervandum eſt?

Duo obſervanda ſunt, *junctura*, & *numerus*.

1 Junctura efficit lenem, aut aſperam orationem.

2 Propterea & litterarum ſonus, & ſyllabarum ratio ſpectanda ſunt.

3 Vocales Litteræ præcipue ſonant, non æque tamen. Conſonæ, aliæ molliores, aliæ aſperiores. L molle. M firmum. N tinniens. R aſperum. S tumidum. X ſtridulum.

IV Quid eſt vitandum in concurſu Litterarum?

1 Quintillianus monet vitandum vocalium concurſum, in quo hiat, & laborat Oratio. Quædam etiam conſonæ in commiſſura luctantur, ut B ante F, & ante P. C ante G. D ante T. Hinc Veteres non *obfero*, ſed aufero, non *conloco*, ſed colloco dicere malluerunt. Aſperum accideret, *Ab Pamphilo*, *Ac gratis*, *Adtero &c.*

2 Alii cavendum monent, ne poſtrema ſyllaba præcedentis vocis ſit prima vocis ſequentis. Tale illud Ciceronis a Fabio arguitur. *O Fortunatam, natam me conſule Romam.* Verum Virgilius habet *Fama malum &c. Dorica caſtra. Cæca caligine.*

V Quid

(a) *Serm. L. 1. Sat. 10.*

V Quid eſt circa ſyllabas animadvertendum?

1 Vocabula mediocria, monoſyllabis, ac longioribus præſtantiora ſunt. Monoſyllaba fractam, breviora exilientem, longiora, & ſeſquipedalia, lentam plus æquo orationem gignunt. Hinc verba inter ſe varie commiſcenda, & aſperis mollia, mollibus aſpera, longiora brevibus, attemperanda.

VI Quid eſt numerus Oratoriæ elocutionis?

1 Eſt latens quædam harmonia, quæ tamen ſentitur, & aures permulcet. Vel ut Voſſius definit: *Conveniens ſententia ſonus, ex partium compoſitione naſcens.*

2 Oritur ex permixtis, & confuſis pedibus, & apta ratione temporum, quibus conſtant. In hac re judicium omne eſt aurium. Quid hac Ciceronis ſententia ſuavius? *Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorreſcas.* An idem numerus mutata eorum verborum collocatione ſervabitur? An ſi dixeris. *Eorum Te miror, Antoni, quorum imitere facta, non perhorreſcas exitus?* An ſi: *Te miror, Antoni, eorum exitus non perhorreſcas quorum facta imitere?* Minime gentium. Aliud numeroſæ orationis exemplum eſt præclariſſimum in Oratione pro M. Marcello. *Domuiſti gentes immanitate Barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes &c.*

3 Quamquam vero numerus attenditur in univerſa oratione, præcipuum tamen locum habet in clauſulis, quarum ſonus magis aures percellit.

VII Quid eſt cavendum circa numerum orationis?

1 Cavendum ne, dum numerum affectes, in rythmum, ſive in poeticum numerum incidas, qui potiſſimum, aut verſus ſit integer, aut finis hexametri, ſeu pentametri verſiculi.

2 Tamen ne præſtantiſſimi quidem Scriptores vitium hoc ſemper effugere poterunt. Habes apud Quintillianum de numeri ipſius præſtantia diſſerentem: *Neque Demoſthenes fulmina vibraſſe diceretur, niſi Numeris vibrata fuiſſent.* En hexametri poſtremam partem. Quin apud Ciceronem ipſum: *innumeri ex illo fonte dolores*, & illud: *Quum loqueretur tanti fletus, gemituſque fiebant.* Item in Bruto habes:

 Quam-

Quamquam ſciunt placuiſſe Catoni. Verum quod illis caſu excidit, ne ſit Adoleſcentibus imitationis exemplum. Ceterum neque poeticus numerus affectandus, neque ſi interdum accidat, ſemper vitandus. Judicium latinarum aurium requiritur.

3 Non idem omni argumento numerus convenit. Ciceroni placet demonſtrativum genus, quia in eo propoſita eſt delectatio, numero ſuaviori tractari; Deliberativum, ac Judiciale genus, numerum faciliorem conſectatur. Virgilius in numeris, pro argumenti diverſitate, mirum in modum attemperandis excellit.

De Perſpicuitate.

I QUid eſt *Perſpicuitas?*

1 *Eſt virtus orationis, unde ea facile intelligitur?*

2 Ad Perſpicuitatem requiruntur vocabula propria, & uſitata; De uſitatis ſuperius egimus. Propria ea ſunt, quæ nativam habent ſignificandi vim ex uſu Doctorum. Sed hæc a Lexicis petenda, & Lectione Optimorum Auctorum addiſcenda, de qua inferius.

3 Vitanda ad Perſpicuitatem amphibologia. Exemplum obſcuri ſermonis ponit Fabius. *Teſtamento quidam juſſit poni Statuam auream haſtam tenentem.* An haſta, an ſtatua, ponenda eſt aurea? & illud: *Ajo te, Æacida, Romanos vincere poſſe.*

4 Obſcuritatem gignit nimis prolixus ſermo. Fit enim ut dicentem perſequi non poſſit Auditor. Peccant propterea nimis prolixæ periodi, at illæ potiſſimum, quibus longiores aliquando parentheſes interponuntur.

5 Nec debet Oratio nimis eſſe conciſa, *Brevis eſſe laboro? Obſcurus fio*, inquit Horatius.

6 Fugienda etiam verborum mixtura, quæ ſenſum obtenebrat: quale illud: *Ut ſcire poſſis ad quo te expediat loqui. Ad quo*, pro *Quoad.*

7 Verborum tandem tranſpoſitio niſi prudenter fiat, orationem obfuſcat. Adeſt apud Sigonium, Clariſſimum ceteroqui Scriptorem, locus quidam meo judicio non tam perſpicuus, quam eſſet, ſi eadem verba paullo alia ratione col-

collocarentur. En ipſum. *Quid ei vel opportunius ſi tuta, vel jucunda ſuavius, vel magnificentius ſi nobilioris vitæ genus expeteret, accidere potuit, quam ut &c.* Si dixiſſet: *Quid ei, vel ſi tuta, opportunius, vel ſi jucunda, ſuavius, vel ſi nobilioris vitæ genus expeteret, magnificentius accidere potuit, quam &c.* magis mihi evidens fuiſſet ſententia. Ceterum tantum Virum ſuſpiciant Adoleſcentes, & imitari contendant.

Scriptores præcipui, a quibus Puritas, & Elegantia hauriri poſſunt.

I QUa ratione *Puritatem*, & *Elegantiam* latini ſermonis conſequi poteſt Adoleſcens?

1 *Lectione, & imitatione* Optimorum Scriptorum.

2 Sed quoniam Optimi Scriptores perlegi ab Adoleſcentibus nequeunt niſi eos noverint, qui ceteros antecellunt, hinc ſinguli recenſendi ſunt, & in certas claſſes diſtribuendi.

Latini Scriptores Vetuſti.

Leges Duodecim Tabullarum
Saliares hymni, *quorum fragmenta citant Veteres Grammatici*

Livius Andronicus	Lucillus
Pacuvius	Nævius
Ennius	Cæcilius

3 *Hi omnes archaiſmum olent, neque in his oportet Adoleſcentem immorari.*

Scriptores minus Vetuſti.

Plautus	Terentius
Cato de Re Ruſtica	Lucretius

4 *Adoleſcentibus utilis eſſe poteſt in ſermoni familiari Terentius, & mox Plautus.*

Optimi.

Cicero	Salluſtius
Cæſar	Vellejus
Auctor ad Herennium	Virgilius
Hirtius	Horatius
Cornelius Nepos	Catullus
Livius	Tibullus

Propertius
Vitruvius
Ovidius
Phædrus
Varro
Columella
Scribonius
M. Seneca
Cornelius Celſus
Pomponius Mela
Syrus Mimus

Ex his præſtat ut Cicero potiſſimum perlegatur. Voſſius vult eum unum pueris exhiberi. Cæſar, & Nepos multum proderunt, Virgilius, Horatius, Phædrus ex Poetis, Adoleſcentium manibus terantur. Ex Catullo, Tibullo, ac Propertio, quantum mores, & Magiſtrorum prudentia concedet, accidet opportunum.

Minus perpoliti.

Rutilius
Quintilianus
Plinius
Curtius
Svetonius
Tacitus
Juſtinus
Lucanus
Perſius
Silius Italicus
Juvenalis
Valerius Flaccus
Statius
Martialis
L. Seneca
Plinius Veronenſis.
Aſconius
A. Gellius

Lutoſi

Simmachus
Capella
Sidonius
Juvencus
Prudentius
Paullinus
Arator

Hi omnes vigente latina lingua, & ea ſenſim labente vixerunt. Sed & alii multi ſunt qui Latinorum lectione, & imitatione præſtant, Eorum pariter ſeriem hic ponimus, ut ſi quos inſpicere cupiant Tirones id eis per nos concedatur.

Sæculo XV.

Trapezuntius
Laurentius Valla
Franciſcus Philelphus
Theodorus Gaza
Hermolaus Barbarus
Jovianus Pontanus
Angelus Politianus
Benedictus Accoltus
Baptiſta Mantuanus *Carmelit. Ord.*
Gabriel Altilius, & alii plures

Jacobus Sannazarius
Petrus Bembus
Paullus Jovius
Joannes Caſa
Aonius Palearius
Marc. Ant. Flaminius
Joannes Cotta
Chriſtophorus Longolius
Andreas Naugerius
Jacobus Sadoletus
Balthaſſar Caſtalio
Honoratus Faſcitellus
Marius Molſa
Lazarus Bonamicus
Gabriel Faernus
Melchior Canus *Ord. Prædicat.*
Hieronymus Francaſtorius
Andreas Alciatus
Reginaldus Polus
Hieronymus Vida
Paullus Manutius
Carolus Sigonius
M. Antonius Muretus
Carolus a Baſilica Petri *Congr. meæ*
Horatius Turſellinus *Societ. Jeſu*
Petrus Perpinianus *ejuſd. Societ.*
Jo: Antonius Gabutius *meæ Congr.*
Jo: Petrus Maphejus *Societ. Jeſu*
M. Antonius Majoragius
Jo: Matthæus Toſcanus

Præter hos alii permulti latine admodum ſcripſere. Eorum, quos attulimus, ſeries, ſatis eſſe poteſt notitiæ, utilitatique Adoleſcentium.

CAPUT II.

De Compoſitione.

I Quid eſt *Compoſitio?*
Compoſitio eſt apta verborum, ac ſententiarum Connexio, & Diſpoſitio.

Sententiæ autem vel paucis verbis integræ abſolvuntur, vel ampliori verborum circuitu quibuſdam partibus integrantur.

Primo modo *Inciſum*, aut *Membrum* ſimplex dicuntur: Altero modo *Periodi* appellantur. De Inciſis, Membriſque integris infra agemus.

De Periodo.

I Quid eſt *Periodus?*

1 *Periodus eſt Orationis continuatio, perfectam, abſoluta tamque ſententiam ambitu ſuo comprehendens.*

2 Periodus enim Græca vox eſt a περὶ, ὁδὸς: *Peri*; ideſt *circum*, & *odos*, ideſt *via*. Propterea circuitum quendam, ſive ambitum ſignificat verborum, quę certa ratione componunt, & ad exitum uſque ſententiam deducunt. Quamob cauſſam ab Ariſtotele Periodus etiam definitur: *Dictio, qua ex ſe habet principium, & finem, & conſpicuam magnitudinem.* Significat autem, quaſdam ineſſe Periodo partes, quæ initium ſint, & finis, eaque magnitudine Periodum contineri, quæ uno poſſit intuitu conſpici, & uno ſpiritu pronuntiari.

II Quenam ſunt *Periodi* partes?

1 Sunt *Membra*, & *Inciſa*. Membrum, & Inciſum hoc loco, non pro brevi, & integra, ſed pro hærente, ac pendente oratione accipiuntur.

2 Membrum eſt pars continens ſenſum aliquem ſuſpenſum, & imperfectum. Exemplum ſit. *Quum in omnibus cauſſis gravioribus commoveri ſoleo vehementius.* Periodi membrum eſt; neque enim hæc pars univerſam prodit ſententiam.

3 Inciſum eſt *Pars proxima membri, & remota ſive minor Periodi.* Ex. gr. *Amor Patriæ, Cuſtodia Legum, Numinis reverentia.* Interdum etiam Inciſa ſingulis vocibus conſtant. *Conſilio, Labore, Conſtantia* &c.

4 Ut res fiat evidentior en Ciceronianam Periodum, [a] brevem quidem ſed eam, unde facile Adoleſcens Periodi partes intelligat.

Primum membrum.

* Quemadmodum turpe eſt, * ſcribere quod non debetur;

Secundum Membrum

* Sic improbum eſt non referre, * quod debeas.

Aſteriſmi Inciſa ſignificant.

III. Quotuplex eſt *Periodus?*

1 Pe-

[a] *Pro Roſcio Comœdo.*

1 Periodus alia eſt Simplex, alia Compoſita. Simplex *eſt quæ unicum ſenſum unico membro circumducit*. Compoſita *eſt quæ pluribus conſtat membris*.

Periodus Simplex. *Cic. pro M. Marcello.*

„ Soleo ſæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris uſur„ pare ſermonibus, omnes noſtrorum temporum Imperato„ res, omnes exterarum gentium, potentiſſimorumque popu„ lorum, omnes clariſſimorum Regum res geſtas, cum tuis, „ nec contentione magnitudinis, nec numero præliorum, „ nec varietate Regionum, nec celeritate conficiendi, nec „ diſſimilitudine bellorum, poſſe conferri.

2 *Periodus Compoſita*, ſpectato membrorum numero in tres dividitur ſpecies: alia enim eſt *bimembris*, ſeu duobus membris conſtans, alia *trimembris*, quæ tribus: alia *quadrimembris*, quæ quatuor compacta eſt. Dicitur etiam Græco nomine *Dicolos*, *Tricolos*, *Tetracolos*.

Periodus Bimembris. *Pro Archia Poeta.*

„ In qua Urbe Imperatores prope armati Poetarum no„ men, & Muſarum delubra coluerunt; in ea non debent „ togati Judices a Muſarum honore, & a Poetarum ſalute „ abhorrere.

Periodus Trimembris. *Pro Lege Manilia.*

„ Utinam, Quirites, Virorum fortium, atque innocen„ tium copiam tantam haberetis; ut hæc vobis delibera„ tio difficilis eſſet; quemnam potiſſimum tantis rebus, ac „ tanto bello præficeretis.

Periodus Quadrimembris. *Pro Milone.*

„ Etſi vereor, Judices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo Vi„ ro dicere incipientem timere; minimeque deceat, cum „ T. Annius Milo ipſe magis de Reipub. ſalute, quam „ de ſua perturbetur, me ad ejus cauſſam, parem animi „ magnitudinem afferre non poſſe; tamen hæc nova judi„ cii nova forma terret oculos; qui quocunque inciderint, „ veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judi„ ciorum requirunt.

IV Quid eſt Periodus, quam *Rotundam*, ſeu *Quadratam* dicunt?

Eſt Periodus Quadrimembris ita contexta, ut membrorum ordo, ſine detrimento ſenſus, numeri, & elegantiæ, inverti poſſit.

poſſit. *Quadrata* dicitur quia ex omne parte, quaſi cubus, æqualis eſt. Quod vero ſpheræ in modum, teres undique, & volubilis: appellatur *rotunda*.

Quadrata Periodus. *Pro Cæcina*.

„ Si quantum in agro, lociſque deſertis audacia poteſt, „ tantum in foro, atque in judiciis impudentia valeret: „ non minus in cauſſa cederet A. Cæcina Sexti Ebutii im- „ pudentiæ, quam tum in vi facienda ceſſit audaciæ.

En converſa *apodoſi* in *protaſim*.

„ Non minus in cauſſa cederet A. Cæcina Sexti Ebutii „ impudentiæ, quam tum in vi facienda ceſſit audaciæ, ſi „ quantum in agro, lociſque deſertis audacia poteſt, tan- „ tum in foro, atque in judiciis impudentia valeret.

En *protaſi* retenta, *ſecundo* tamen in *primum membrum* mutato.

„ Si tantum in foro, atque in judiciis impudentia valeret, „ quantum in agro, lociſque deſertis audacia poteſt; A. „ Cæcina quam tum in vi facienda ceſſit audaciæ, non „ minus in cauſſa cederet Sexti Ebutii impudentiæ.

En *Apodoſi* in *Protaſim*, & *poſtremo membro in primum* converſis.

„ A. Cæcina quam tum in vi facienda ceſſit audaciæ, non „ minus in cauſſa cederet Sexti Ebutii impudentiæ, ſi tan- „ tum in foro, atque judiciis impudentia valeret, quan- „ tum in agro, lociſque deſertis audacia poteſt.

En alia forma.

„ Non minus, quam in vi facienda ceſſit audaciæ, in cauſ- „ ſa cederet A. Cecinna Sexti Ebutii impudentiæ, ſi quan- „ tum in agro, lociſque deſertis audacia poteſt, tantum „ in foro, atque in judiciis impudentia valeret.

Demum alia.

„ Si quantum in agro, lociſque deſertis audacia poteſt, „ tantum in foro, atque in judiciis impudentia valeret; „ non minus, quam in vi facienda ceſſit audaciæ, in cauſ- „ ſa cederet A. Cecinna Sexti Ebutii impudentiæ.

V. Fit ne Periodus *quinque*, *aut pluribus* membris conſtans?

Fit ea quidem, verum non Periodus, ſed *Ambitus*, aut *periodica Oratio* ſolet appellari. Exemplum extat initio

Ora-

Orationis, pro Archia poeta, ubi ſeptem habet membra, primus Ambitus. Et in exordio Pro Sextio, ubi ſex membris ſecunda ſententia compingitur. Alia item exempla habemus. Interdum accidit, ut per plura familiaris etiam ſermo protrahatur. Verum Tullii ſententiam præ oculis habere proderit ita docentis: *Conſtat ille ambitus*, Periodus nempe, *& plena comprehenſio, e quatuor fere partibus, quæ membra dicuntur, ut & aures impleat, & ne brevior ſit, quam ſatis ſit, neque longior.*

VI. Quinam eſt modus Periodi compingendæ?

1 Sciendum in qualibet periodo, præſertim compoſita, duas reperiri partes oportere, quarum una *Protaſis* ſeu *Propoſitio*; Altera *Apodoſis* ſeu *Redditio* appellatur. *Protaſis* ſuſpendit ſenſum; *Apodoſis* ſuſpenſionem aufert, & ſenſum abſolvit.

2 Sciendum præterea ſuſpenſionem ſententiæ a juncturis quibuſdam oriri. Hæ autem juncturæ vel ſingulares ſunt, vel geminæ, & reſpondentes.

3 *Singulares*, eæ ſunt particulæ, quibus non alia reſpondet particula; verbum tamen aliquod depoſcunt, ne pendens maneat ſententia, cujuſmodi ſunt. *Dum*, *Poſteaquam*, *quamobrem*, *Si &c.*

Inter juncturas hujuſmodi, quas ſingulares dicimus, etiam *Participia*, & *Gerundia* collocamus V. G. *Quum in maximis periculis hujus Urbis &c. Cogitanti mihi &c.*

4 *Geminæ*, *& reſpondentes* Juncturæ eæ ſunt, quarum una alteram neceſſario petit: ut ſunt. *Quanquam*, *Tamen*; *Sicut*, *Ita*; *Quum*, *Tum*; *Et*, *Et*; *Quantum*, *Tantum*; *Non modo*, *Verum etiam &c.*

5 Ut igitur Periodus fiat, aliqua ex his juncturis uſurpanda eſt, qua poſita ſenſus hæreat; Deinde aut verbum, aut particula reſpondens adjicienda, ut ſenſus claudatur. Quoad pendebit ſententia, ſive uno, ſive multiplici membro conſtet, *Protaſis erit*; Dum ſenſus ad exitum perget, fiet *Apodoſis*.

6 Dixi ſive unum ſit membrum, ſeu multiplex; non enim *Propoſitio*, ac *Redditio*, idem cum membris cenſendæ ſunt in Periodo [a] aliud enim a membris ſunt. Aliter non-

[a] *Hæc fuit Panigarolæ opinio, quam improbamus.*

nonniſi *Bimembris* Periodus haberetur; non enim pluſquam duæ ſunt eæ partes. *Trimembrem* vero, & *Quadrimembrem* Periodum, Cicero, Quintilianus, Hermogenes, immo Rhetores omnes agnoſcunt.

7 Quando igitur ſenſus aliquis in periodum extendendus proponitur, eæ in promptu ſint particulæ, vel juncturæ ad ſuſpendendum ſenſum, ſi periodus *policolos* ſive plurium membrorum ſit conſtruenda.

8 Ad Periodum *rotundam* non modo juncturæ ſuſpendentes adinveniendæ, verum etiam particulæ ſibi invicem reſpondentes, quarum duæ *Protaſim*, duæ *Apodoſim* complere poſſint.

9 Generatim vero *Periphraſes* excogitentur, quibus nudæ voces ornari poſſint.

Epitheta, ſeu adjectiva in uſu ſint.

Partes diſtribuantur, & *enumeratio* quædam fiat earumdem.

Definitiones conglobatæ, & alia loca ad amplificandum in promptu ſint, de quibus infra dicemus.

10 Ut res facillime percipiatur: Propono ſimplicem ſententiam ad componendam Periodum. Sit ea, quam exponit Cicero initio Orat. in Catilinam tertiæ.

Hodie, Quirites, vos & veſtra a me ſervata videtis. Cicero integram periodum efficit *enumerando*. Primum res ſervatas; deinde modum quo ſervavit, tertio damna, a quibus ſervavit.

(*a*) ,, Rempublicam, Quirites, vitamque omnium veſtrum, ,, bona, fortunas, conjuges, liberoſque veſtros, atque ,, hoc domicilium clariſſimi imperii, fortunatiſſimam, pul- ,, cherrimamque Urbem, hodierno die, (*b*) Deorum im- ,, mortalium ſummo erga vos amore, laboribus, conſiliis, ,, periculis meis, (*c*) ex flamma, atque ferro, ac pæne ,, ex faucibus fati ereptam, & vobis conſervatam, ac re- ,, ſtitutam videtis.

Utitur etiam definitione, epithetis, ac phraſibus: atque hæc Periodus ſimplex.

11 Aliam

(*a*) *Res ſervata*.
(*b*) *Modus ſervandi*.
(*c*) *Damna a quibus ſervavit*.

Digitized by Google

11 Aliam adduco Ciceronis nudam ſententiam, quam Periodo bimembri circumduxit, initio Or. pro L. Flacco.

Olim ego cum Flacco damna hujus Urbis, & Imperii averti; ſperavique me eidem in honoribus, non in miſeriis opitulaturum.

Ad Periodum Bimembrem conſtituendam ſic ſenſum diſtribuit: *Quum ego ſociante Flacco damna Urbis &c. averterem, ſperabam me eidem &c.* Ad amplificandam vero Periodum: epithetis præcipue, circuitione, & aliqua enumeratione ſententiam ornavit hoc modo.

„ Quum in maximis periculis hujus Urbis, atque imperii, graviſſimo atque acerbiſs. Reipub. caſu, ſocio, atque adjutore conſiliorum, periculorumque meorum L. Flacco, cædem a vobis, conjugibus, liberis veſtris, vaſtitatem a templis, delubris, Urbe, Italia, depellebam; ſperabam, Judices, honorum potius L. Flacci me adjutorem futurum, quam miſeriarum deprecatorem.

Hæc per nos dicta ſufficiant. Magiſtrorum induſtria alia afferet exempla, & ſingula per partes recenſebit, unde brevis ſermo in longam creviſſe periodum oſtendatur.

De Periodi, & conciſæ Orationis uſu.

I Semper ne *Periodo* utendum eſt?

Nequaquam; ſed ita temperanda oratio, ut Periodica, & conciſa miſceantur.

II Quandonam *Periodis* eſt utendum?

1 Periodus, Fabio teſte, (*a*) apta *proœmiis* majorum cauſarum, ubi ſollicitudine, commendatione, miſeratio eres eget Item *communibus in locis*, & in omni *amplificatione*. Multum, & in *Epilogis* valet. Addit Auctor ad Herennium. *In ſententia, in contrario, & in explicanda concluſione*, quod idem ſignificat, ac in compingendis *epilogis*. Hic eſt uſus præcipuus. Ceterum in omni ſermone periodus aliqua locum habere poteſt.

III Quandonam *Membris*, ſive *Inciſis* uti opportunum eſt?

1 *Membratim, & caſim dicere expedit in cauſſis minoribus,*

(*a*) *Inſtit. Orat. lib. 9.*

bus, *& ubicumque acriter*, *& pugnaciter agendum eſt*. Nam ubi vis urget, verborum circuitus enervat ſententiam.

2 Quintilianus commendat brevibus efferri *argumenta*, *partitiones*, *jocos*, & quidquid eſt *familiari ſermoni magis ſimile*.

3 Membratim, ex eodem, plerumque *narrabimus*, exceptis iis, quæ ornandi cauſſa inſtituuntur.

CAPUT III.

De Ornatu.

ORnant orationem, *Tropi* potiſſimum, & *Figuræ*. De his agendum; ac primum

De Tropis.

I Quid eſt *Tropus?*

1 *Tropus eſt verbi, vel ſermonis a propria ſignificatione in alienam, cum virtute mutatio*. Quum igitur vox aliqua a nativa, & uſitata uſurpatione ad aliud ſignificandum transfertur, ea *Tropus* dicitur. E.G. *Stipes*, Lignum ſignificat; *Flos*, Herbarum, aut arborum fœtum; *Peſtis*, morbum perniciosiſſimum. Sumuntur tamen hæc ad aliud prorſus ſignificandum; & *Stipitem* dicimus rudem hominem: *Florem Juventutis*, *Florem Nobilitatis*, Adoleſcentem, aut Virum optimum. *Peſtem Reipublicæ*, nefarium hominem. Item: *lavare Æthiopem*, *Iſtmum fodere*, pro fruſtra laborem ſuſcipere uſurpamus.

2 Dicitur autem *Tropus* mutatio *cum virtute*, quia, aut vim habet ſupplendi ubi proprium vocabulum deeſt, [non enim linguæ ſingulæ ſingulare omnium rerum habent vocabulum]: Aut majorem habet ſignificationem, in qua *ornatus* maxime elucet.

II Quot ſunt *Tropi?*

Nonnulli *quatuor tantum* ponunt, ad quos tanquam ad præcipua capita ceteros omnes reducunt: Nos iſtos recenſemus, qui ſunt: *Metaphora*, *Allegoria*, *Synecdoche*, *Metonymia*, *Metalepſis*, *Catachreſis*, *Antonomaſia*, *Hyperbole*, *& Ironia*.

De

De Metaphora, & Allegoria.

I QUid eſt *Metaphora?*

1 *Eſt vocis a propria ſignificatione, ad non propriam per ſimilitudinem migratio*. Virgil. [a]

Eurialus forma inſignis, viridique *juventa*.

Viriditas herbarum eſt; Hæc propria ſignificatio. Poeta *viriditatem* juventuti dedit, eſt enim Juvenis quaſi germen quoddam vernans ea ætate, ac vireſcens. Ea nota ſunt exempla: *Prata rident*, *Vultus ſerenus &c.*

2 In quacunque igitur *Metaphora* quædam ſimilitudo latet, propterea ut Tullii verbis dici poſſit: *Similitudinis ad verbum unum contracta brevitas*. Sæpe enim, ſi comparativæ particulæ addantur, *metaphora* in ſimilitudinem; ſi demantur, ſimilitudo in metaphoram, tranſit. E. G. de Clodio dixit Cicero = *Illam belluam judicii laqueos declinantem irretitam tenet:* Optima metaphora. Si dixiſſet = *Illum quaſi belluam laqueos declinantem irretitum tenet:* En metaphora in ſimilitudinem traducta. Idem Cicero *de finibus* (b) = *Sed animi cultus ei erat quaſi quidam humanitatis cibus*: En ſimilitudinem. Si dixiſſet. *Animi cultus ei erat humanitatis cibus*, fuiſſet Metaphora.

3 Quatuor *Metaphorarum* fontes aſſignari ſolent, ſeu quatuor genera translationum. 1 Ab *animatis rebus, ad res animatas*. Virgil. [c]

Juſtitiaque dedit gentes frenare *ſuperbas*.

2 Ab *inanimatis, ad inanimatas* Catullus (d)

Sed neque tum mitra, neque tum fluitantis *amictus*
Illa vicem curans &c.

3 Ab *animatis, ad inanimata*. Cic. pro Archia. *Hæc ſtudia* pernoctant *nobiſcum*, peregrinantur, ruſticantur. =

4 Ab *inanimatis, ad animata*. Idem pro Marcellio. *Nullius eſt tantum* flumen *ingenii*. Virgilius = (e) *Duo* fulmina belli *Scipiadas*. Ea inter *Metaphoras* præſtare dicitur, quæ ex tertio fonte deducitur.

II Quid cavendum in *Metaphora*?

[a] *Æn.* 5. (b) *lib.* 3. [c] *Æn.* 1. (d) *de Nupt. Pelei.* (e) *Æn.* 6.

4 Quum Metaphora ſimilitudini innitatur, generatim, *ſimilitudinis ratio maxime habenda eſt* Vitium igitur primum *Improportio eſt*, *ſeu diſtantia*. Quænam E. G. inter bellum, & montem affinitas? Nulla prorſus. Hinc jure Cornificius: *Montes belli fabricare, campos pacis exto lere* vitii notavit, & Cicero Ennianos illos *Cæli fornices* [a] damnavit. Quum paullo longiquius petitæ ſunt Metaphoræ, *Audaces* dicuntur.

5 Vitium alterum eſt *Turpitudo:* quum ſcilicet a turpi re deſumitur. Horatius (b) illud mordet.

Jupiter hybernas, *cava nive* conſpuit *alpes*.

6 Tertium vitium eſt *Languor*, *& Imminutio*, quum videlicet translatio, *aut nihil auget ſignificationem*, *aut eam imminuit*: Ut ſi quis Providum Virum, *Prudentem Formicam* diceret, vel Prædonem, *Navium Accipitrem* appellaret.

7 Quartum *metaphora* vitium eſt *Tranſitus*, ſeu *inconſtantia*, qua fit ut de genere in genus migret translatio. *Cuſtodiendum*, inquit Fabius, *ut quo ex genere ceperis translationis*, *hoc deſinas*. Ut ſi quis diceret; *Tam Ferreus illi mos*, *ut nulla poſſit arte dulcurari*. Ferrum mollitur quidem, non dulcuratur. *Tranſitus* vitiavit metaphoram.

8 Moneo tamen, non ita vetari Metaphoræ Tranſitum, ut plures conjungi Metaphoræ una ſententia non poſſint. Illud vitioſum eſt, ex quo incongruum aliquid in ſententiam inducitur, cujuſmodi in allato exemplo protulimus. Ceterum, & apud Virgilium habemus (c)

..... *cauſas nequicquam* nectis *inanes*,
Nec mea jam mutata loco *ſententia cedit*.

Prima Metaphora a *textoria arte*, altera a *progreſſivo motu*. Et apud Horatium.

Nemo adeo ferus *eſt*, *ut non* miteſcere *poſſit*
Si modo culturæ *patientem* commodet *aurem*.

Prima a Feris; ſecunda a fructibus; tertia ab agris; quarta negotiatione deſumpta eſt. Item Cicero in Verrem [d] *Errabas Verres*, *& vehementer errabas quum te maculas furtorum*, *ac flagitiorum tuorum*, *ſociorum*, *& innocentium ſanguine eluere arbitrabaris: Præceps amentia ferebaris*, *qui te*

[a] *Lib.* 3. *de Oratore*. (b) *Sat.* 5. *l.* 2.
(c) *Aen.* 9. [d] *Act.* 6.

te exiſtimares avaritia vulnera, *crudelitatis* remediis *poſſe ſanare*. Prima metaphoræ a *Fullonica*, Aliæ a *medica* arte deductæ Verum in his multo judicio opus eſt, nec temere ſunt commiſcendæ. Illud præterea tenendum: *Metaphoras* pulcherrimum orationis lumen eſſe cum rite fiunt, vitium vero ejuſdem turpiſſimum, ſi perperam inducantur. Si metaphora paullo videatur eſſe vehementior, particulis: *veluti*, *prope*, *quaſi*, *quodammodo*, aliiſque hujuſmodi minuatur.

III Quid eſt *Allegoria*?

1 Eſt *Metaphora continuatio*. Dicitur etiam Tropus, quo aliud dicitur, aliud re intelligitur. Translatio enim nativam ſignificationem ſupplet, propterea per alienam ſpeciem res alia ſignificatur. Cicero [a] *Neque tam fui timidus, ut qui in maximis* turbinibus, ac fluctibus *Reipublicæ* navim *gubernaſſem*, *ſalvamque in* portu *collocaſſem*, *frontis tuæ* nubeculam, *tum Collegæ tui contaminatum* ſpiritum *pertimeſcerem*. *Alios ego vidi* ventos, *aliis impendentibus* tempeſtatibus *non ceſſi*. En conſtantiam in regenda Republica ſub *nautici regiminis*, ac maritimi itineris imagine expreſſam.

2 Ea omnia cavenda ſunt in *Allegoria* quæ in Metaphora. Quod ad *Tranſitum*, ſive *inconſtantiam*, animadverto duplicem, aut multiplicem poſſe *allegoriam* aliquando conjungi, ſi tamen ab iis ducatur rebus, quæ ſibi invicem reſpondeant, aut invicem connectantur, Tullius pro Quinctio, aliam *a militari*, aliam *a medica re* deſumpſit, & commiſcuit = *Ita fit ut ego, qui* tela *depellere*, *& vulneribus* mederi *debeam*; *tum id facere cogar, quum etiam* telum *adverſarius nullum jecerit*; *illius autem id tempus impugnandi datur, quum & vitandi illorum impetus poteſtas adempta nobis erit: & ſi qua in re, quod parati ſunt facere*, venenatum *aliquod* telum *jecerint*, medicinæ faciendæ *locus non erit*. Profecto *a telis vulnera*: vulneribus *paranda medicina eſt*. Hinc duplex in eo Tullii loco aptiſſime congruit *allegoria*.

3 Cavendum præterea ne *Allegoria* prolixior fit. Fit enim enigmati ſimilis, quod in Orationibus publicis vix

 locum

[a] *in Piſonem*.

locum habet, etenim obſcuram efficit orationem; Tamen ſcribenti familiares litteras, in iis, quæ ſecreta eſſe maxime oporteat, exemplo Ciceronis ad Atticum, concedi poteſt.

De Synecdoche, & Metonymia.

DUo hi Tropi affines ſunt; uterque enim *ad aliud ex alio ſignificandum* uſurpatur. Verum illud diſcriminis intercedit, quod *Synecdoche* inter ea verſatur, quorum unum alteri, vel intrinſecum eſt, vel, ut ajunt, *eſſentiale*. *Metonymia* vero iis utitur, quorum alterum alteri extrinſecum eſt, neque ad alterius ſpectat eſſentiam.

I Quid eſt *Synecdoche?*

1 *Syncedoche*, quæ latino nomine *Intellectio* dicitur, eſt *Tropus, quo res tota de parte cognoſcitur, aut de toto pars.* [a]

II Quot modis fit *Synecdoche?*

2 *Tot modis, quot aliquid habet rationem totius, & rationem partis.*

3 Fit I. quum *Genus* quod eſt totum univerſale ſumitur *pro ſpecie*, Ut *Sonipes*; *Quadrupes*, pro Equo, vel pro Cervo; *Ales* pro Columba, vel pro Aquila.

[b] *Stat* Sonipes, *& frena ferox ſpumantia mandit.* Pro Equo.

[c] *Saucius at* Quadrupes *nota intra tecta refugit.* Pro Cervo.

(d) *Intremuit malus, tremuitque exterrita pennis* Ales &c. Pro Columba.

4 Fit II. quum *ſpecies pro genere* uſurpatur, vel *Individuum pro ſpecie*. *Ornus* V. G. aut *Ulmus* pro arbore. Horatius. (e)

(f) *Piſcium & ſumma genus haſit ulmo.* Pro Arbore.

(g) *Ac veluti ſummis antiquam in montibus* Ornum. *Auſtrum* legimus, aut *Aquilonem* pro Vento, *Tigrim*, aut *Leonem* pro fera &c. Hæc Synecdoche, *ſpeciei pro genere.*

In-

[a] *Ita ad Herenn. lib.* 4. [b] *Aen.* 4. (c) *Aen.* 7.
[d] *Aen.* 5. [e] *l.* 1. *Ode* 2. (f) *Aen.* 2. (g) *Aen.* 2.

Interdum; *Acatem* dicimus pro Amico, *Catonem* pro Sapiente, *Achillem* pro forti Viro. Sunt autem Synecdoche *Individui* pro *Specie* :

5 Fit III. quum *Totum eſſentiale* ponitur, *pro parte materiali*, ſeu *forma*.*i* ex quibus componitur. Virg. (*a*)

Impoſitum ſcuto referunt Pallanta *frequentes*

Pallantem pro corpore Pallantis dixit. Tale illud (*b*) *Tulerunt Dominum meum*, *&* *neſcio ubi poſuerunt eum*. Ideſt *Corpus* Domini mei.

6 Fit IV. quum *pars* ſive *materialis*, ſive *formalis* pro *toto eſſentiali* adhibetur. Virgil. (*c*)

Praterea bis ſex genitor lectiſſima matrum
Corpora, *captivoſque dabit &c.*

Corpora matrum pro Matribus. Corpus pars hominis *materia*.*is*. Et Cicero (*d*) *Vos mea cariſſima anima ad me ſcribite*. Animas pro *hominibus* accipit; eſt autem anima pars hominis formalis. Huc pertinet *argentum* pro pecunia, *ferrum* pro armis. Virgilius [*e*] *Clam* ferro *incautum ſuperat* = *Ingens* argentum *menſis &c.* Ideſt vaſa ex argento; & Cic. [*f*] *Triclinia ſtrata*, argentumque *expoſitum*. Materies videlicet, vel forma Rei pro re ipſa. *Cava trabe findimus aquor*, memoratus toties Virgilius pro *navi* poſuit, ubi a materia, & forma ſimul, *Synecdochem* fecit.

7 Fit V. quum *totum integrale pro parte* ſumitur. Virgil. (*g*)

.... *Viridemque ab humo convellere* ſylvam. Pro mirto in ſylva.

(*h*) Item = *Qui* Liberim, Fabarimque *bibunt*, Ideſt ex Lyberi, & *Fabari* fluminibus.

8 Fit VI. quum *pars integralis* pro toto integrali accipitur. (*i*)

.... *Longe ſulcant vada ſalſa* carinæ. = Pro navibus. *Limen* dicimus, aut *tectam* pro domo: *Mucronem* pro gladio: *Caput* pro homine: *Ducem* pro exercitu &c. *Ver*, aut *Æſtatem* pro anno. (*k*)

 Ter-

(*a*) *Aen.* 10. (*b*) *Jo.* 10. (*c*) *Aen.* 9. (*d*) *l.* 14. *ep.* 14.
[*e*] *Aen.* 1. [*f*] *in Verrem* 6. (*g*) *Aen.* 3.
(*h*) *Aen.* 7. [*i*] *Aen.* 4.
(*k*) *Aen.* 1.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Tertia dum terris Regnantem viderit æſtas.

Et Propertius.

Et Danaum decimo vere *rediſſe rates*.

9 Fit VII. quum *numerus pluralis*, quod eſt quoddam *totum numericum* accipitur pro ſingulari. Cicero (*a*. O *ſtultos Camillos*, *Curios*, *Fabricios*, *Calatinos*. Poetis id etiam familiarius, qui *ora*, *colla*, *pectora*, *corda* creberrime uſurpant pro *ore*, *collo*, *&c.* Scriptores etiam, & Hiſtorici quum de ſeipſis loquuntur familiare habent hoc Tropi genus.

10 Fit VIII. quum *numerus ſingularis* loco *pluralis numeri* uſuvenit. Virgil. (*b*) *Late loca* milite *complent*. Ideſt *Militibus*; & Livius ſæpe hac utitur formula. *Romanus*, *prælio victor &c.*

III Quid eſt *Metonymia*?

1 *Metonymia*, latino nomine *Denominatio*, ſeu *Transnominatio*, eſt *poſitio rei alicujus pro alia propinqua*, *& affini*.

IV Quot modis fit *Metonymia*?

1 Quatuor præcipuis modis, videlicet; *a cauſa*; *ab effectu*; *a ſubjecto*; *ab adjuncto*. Hoc loco *cauſſa externa* accipitur, & ita effectus. *Subjecti* nomine id venit, cui aliquid minime neceſſarium accidit. *Adjunctum* dicitur *quidquid alteri extra illius eſſentiam* convenit.

3 Igitur: Fit I. quum cauſſa *efficiens præcipua*, ſeu *inſtrumentalis*, vel quum cauſſa *finalis*, pro effectu ponitur. Virgilius item. (*c*)

Regem ad ſupplicium præſenti marte *repoſcunt*.

Item (*d*)

Tum Cererem *corruptam undis*; cerealiaque arma Expediunt *&c.* *Ceres* pro Pane. *Arma* pro inſtrumentis ad panem conficiendum.

Cicero; *Virgilius*; *Livius &c.* dicitur pro eorum ſcriptis. Virgilius pariter (*e*)

Nam tibi, *Tymbre*, *caput* Evandrius *abſtulit* enſis.

En cauſſam *inſtrumentalem*. Eidem congruit Propertius [*f*] Ma-

[*a*] *in Piſonem*. [*b*] *Aen.* 2.
(*c*) *Aen.* 8. (*d*) *Aen.* 1.
(*e*) *Aen.* 10. [*f*] *lib.* 5. *Eleg.* 7.

Mœnia cum Grajo neptunia preſſit aratro
Victor Palladia, ligneus *artis equus*.

Illud vero ejuſdem Poetæ (*a*)

Sunt quibus Elea concurrit palma *quadriga*,
Sunt quibus ad celeres gloria *nata pedes*.

Exemplo ſunt cauſſæ *finalis* pro effectu. Loco enim dicendi: *Sunt quibus quadriga concurrunt pro palma*. *Sunt quibus pedes celeres nati ad gloriam*; eo modo dixit vere poetico.

4 Fit II. quum *effectus* ad ſignificandam *cauſſam* transfertur. Horatius (*b*)

Pindarici fontis qui non expalluit *hauſtus*. Pro *extimuit*. Pallor timoris effectus. Idem (*c*)

...... lacrymoſo *non ſine fumo*. Ideſt lacrymas eliciente.

Virgilius dixit (*d*) *Scipiadas* cladem *belli*, & Cicero appellavit Verrem, *labem*, ac *perniciem* patriæ.

5 Fit III. quum ſubjectum pro adjuncto adhibetur, quod accidit pluribus modis. Ponitur enim

6 *Continens pro re contenta*. Virgil. (*e*)

.... *ille impiger hauſit*.
Spumantem pateram, *&* *pleno ſe proluit* auro.

patera, & *aurum* pro vino in patera aurea contento.
Sic *Italiam* pro *Italis* dicimus, *Rus* pro *Ruſticitate*, ut Catullus de verſibus Voluſii.

Pleni ruris, *& infacetiarum*.

7 *Poſſeſſor pro re poſſeſſa*. Virgilius (*f*)

Jam proximus ardet Ucalegon .. pro *Domo Ucalegontis*, & Cicero de Senectute: *Cujus ego Villam contemplans, non enim longe eſt* a me; ideſt a *meo fundo*.

8 *Signum pro re ſignata*. Ut *faſces*, vel *ſecures* pro Conſulatu; cujuſmodi illud Propertii [*g*] de Mæcenate.

Quum tibi Romano dominas *in honore* ſecures
Et liceat medio ponere jura foro.

Purpura pro Principatu pro victoria *Palma*, *Sceptrum* pro Regno. *Jupiter*, *Caſar*, *Marius* pro Statua, ſeu ſigno Jovis, Cæſaris, Marii accipiuntur.

 9 *Res*

(*a*) *ibid.* (*b*) *lib.* 3. *epiſt.* 3. [*c*] *ſer.* *l.* 1. *ſat.* 5.
[*d*] *Aen.* 8. [*e*] *Aen.* 1. [*f*] *Aen.* 2.
(*g*) *Lib.* 3. *Eleg.* 7.

9 *Res in tempore pro tempore:* ut *meſſis* pro æſtate. Virgilius [*a*]

...... *ſi meſſis*, in umbra.

Item *Luna* pro menſe. Idem (*b*)

Tertia *jam* Lunæ ſe cornua *lumine complent*.

10 Fit IV. *Metonymia* quum adjunctum ponitur pro ſubjecto, cui adjungitur. Sic Virgilius (*c*)

Necte tribus nodis ternos, *Amarylli*, colores:

videlicet tria fila triplicis coloris; & (*d*)

..... Stratoque *ſuper diſcumbitur* oſtro...

pro ſtragulis oſtro infectis. Item quum Deum V. G. *amorem noſtrum* dicimus: videlicet eum, circa quem amor noſter verſatur.

11 *Contentum pro continente*. Virgil. [*e*] de Clypeo hiſtoriis futurorum Nepotum inſculpto

Attollens humero famamq; & fata *Nepotum*. Item (*f*)

.... & vina *coronat*. ideſt *pateras* vino plenas.

12 *Tempus pro re in tempore*. Cicero, *hujus ſæculi inſolentiam* dixit. (*g*) Pro iniquitate hominum ejus ætatis. *Noctem* Virgilius [*h*] pro *quiete*, quæ nocte capitur.

.... *nec unquam*

Solvitur in ſomnos, oculiſve, aut pectore noctem

Accipit.

13 Ponitur etiam *nomen* pro re nominata: *numerus* pro numerato: *virtus*, aut *vitium* pro præſtanti, aut improbo viro &c.

Moneo in his Tropis multo judicio opus eſſe; non enim facile audendum. Præterea hi quamvis Oratori in promptu eſſe poſſint; Poetas tamen præcipue decent.

I Quid eſt *Metalepſis?*

1 Idem eſt ac *tranſumptio, videlicet uſurpatio dictionis alicujus remotioris pro alia*, ſeu, ut Voſſio placet, antecedentis pro conſequente, vel conſequentis pro antecedente. En conſequens pro antecedenti.

[*i*] *Poſt* aliquot, *mea regna videns, mirabor* ariſtas.

Ariſta pro meſſibus, ex quibus anni ſignificantur: & Mart.

[*a*] Te-

(*a*) *Georg.* 1. [*b*] *Aen.* 3. (*c*) *Eccl.* 8.
(*d*) *Aen.* 1. (*e*) *Aen.* 8. (*f*) *Aen.* 1.
(*g*) *Philip.* 9. (*h*) *Aen.* 4. (*i*) *Eclog.* 1.

[a] *Tecum terdenas numeravi Poſthume* brumas — Ideſt *tredecim annos*. Hic Tropus, Poetarum magis, quam Oratorum.

II. Quid eſt *Catachreſis*?

2 *Eſt vocis abuſio, ſeu durior, & licentior translatio*. Abuſio autem, ex eo oritur, quod vox, vel origine, vel natura minus rei congruit, pro qua uſurpatur. Tale illud Virgilii [b]

Inſtar montis equum divina Palladis arte

Ædificant. — De *ædibus* verbum hoc *origine* dicitur, non de Equi ſigno. Sic Cicero, ſic Cæſar *ædificare naves* dixerunt. Imo Tullius de Senectute *Omne canorum illud in voce* ſplendeſcit; ideſt *excellit*. Et Virgil. (c) hunc *defende* furorem — ideſt *arce, depelle &c.* Horatius [d] *Eurus per ſiculas* equitavit *undas*. Verum hæc translatio nonnullis minus arridet; nec injuria.

De hac monendum eſt, ne facile & ſine veterum exemplo adhibeatur. Poetæ caveant, ne audendi cauſſa, frigeant, aut deſſipiant.

De Antonomaſia, & Hyperbole.

I. Quid eſt *Antonomaſia*?

1 *Eſt quædam nominis immutatio*, quæ a latinis dicitur *Pronominatio*.

II. Quot modis fit?

2 *Duobus modis*. I. Nomen *proprium* ſumitur *pro communi*, ut *Nero* pro crudeli: *Sardanapallus* pro molli *Creſus* pro divite: *Irus* pro paupere. Ovidius (e)

Irus *& eſt ſubito qui modo* Creſus *erat*.

Hæc etiam dici poteſt *Synecdoche* individui pro ſpecie. Simili ratione dicitur *Græcus* vel *Cretenſis*, pro mendaci: *Turca* pro crudeli &c. & hæc etiam eſt *Synecdoche* ſpeciei pro genere.

3 Fit II. quum *nomen commune pro proprio* accipitur: ut *Urbs* pro Roma &c. hujuſmodi cauſſa ponitur.

Pa-

[a] *lib. 4. epiſt. 40.* (b) *Aen. 2.*
[c] *Aen. 10.* (d) *lib. 4. od. 4.*
[e] *Triſt. el. 7.*

Patronimicum; ut *Saturnius* pro Jove; *Priamides* pro Hectore; *Anchiſiades* pro Ænea; *Pellides* pro Achille: *Hic modus Poetarum eſt*.

Patria; ut *Citherea* pro Venere; *Arpinas* pro Tullio &c. *Hic modus Oratorum eſſe poteſt*.

Studium; ut *Orator* pro Tullio, aut Demoſthene; *Philoſophus* pro Ariſtotele; *Satyricus* pro Juvenali; *Apoſtolus* pro D. PAULLO DUCE, PATRONOQUE NOSTRO &c.

Periphraſis conveniens; ut *Trojani belli Scriptor*, pro Homero, *Africanus Doctor* pro D. Auguſtino; *Apoſtolorum Princeps* pro D. PETRO &c. *Hac maxime Oratorum eſt*.

III. Quid eſt *Hyperbole?*

4 *Eſt Oratio, qua augendo, vel minuendo ſuperat fidem*. *Augendo*. Tullius [*a*] dixit: Memmium quendam proceræ ſtaturæ hominem: *caput ad fornicem Fabii offendiſſe*, & Virgil. [*b*]

Candidior cycnis, hedera formoſior alba;

& (*c*) de Camilla.

Illa vel intacta ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu laſiſſet ariſtas.

Minuendo. Idem (*d*) de ovibus macie confectis. *Vix oſſibus hærent*. Sic *Teſtudine tardior*; *Iro pauperior*, *Uliſſe fraudulentior &c.*

Hyperbole locum habet apud Oratores utroque modo. Poetis item accomoda. Fons eſt jocorum, & ſalium, ſi judicio, feſtivitate, & urbanitate regatur. Ad hujus generis Ironiam ſpectat illud Catulli. Furi cui neque ſervus, neque &c. *quo mirifice eum deridet*.

De Ironia, & Sarcaſmo.

I Quid eſt *Ironia?*

1 *Eſt ſimulata locutio, qua contrarium ei, quod dicit, intellectum parit*. Ita Quintilianus. *Ironia* cognoſcitur ex natura perſonæ, aut rei de qua agitur, aut ex modo pronunciandi. Ut ſi dicas: *O præclarum Ovium cuſtodem Lupum!* Vel ut in Piſonem. *Non eſt integrum Gn. Pompejo*

(*a*) *Lib. 2. de Oratore*. (*b*) *Eccl. 7.*
(*c*) *Aen. 7.* (*d*) *Ibid.*

pejo conſilio jam uti tuo : erravit enim ; non guſtarat iſtam tuam philoſophiam . Ter jam homo ſtultus triumphavit , Craſſe pudet me tui . Quid eſt quod confecto formidoloſiſſimo bello , coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris a Senatu ? P. Servili , Q. Metelle , cur non hunc audiſtis tam doctum hominem , tam eruditum &c.

2 Ad *Ironiam* hæ voces ut plurimum adhibentur ; *ſcilicet ; vero ; videlicet ; credo ; ſane ; ſi Diis placet &c.* Terentius . *Populus id curat ſcilicet :* & Cicero [a] *Scilicet Legatos ad eum miſimus : non ut pareret , & dicto obediens eſſet huic ordini , ſed ut conditiones ferret , leges imponeret &c.*

II Quid eſt *Sarcaſmus ?*

3 *Eſt amara quadam irriſio ,* & aſpera quædam Ironia . Ita Virgilius Æneam in Mezentium exacuit . *(b)*

Advolat Æneas , vaginaque eripit enſem ,
Et ſuper hac : Ubi nunc Mezentius acer , & illa
Effera vis animi ?

Sic morituro Domino Impii inſultabant ; *Vah qui deſtruis templum Dei , & in triduo illud readificas ! ſalva temetipſum . Si filius Dei eſt , deſcendat de cruce &c.*

4 Sunt & aliæ irriſiones , mordaces quidem , ſed minus amaræ . Hæc ad *Sarcaſmum* reduci poſſunt ; non carent tamen ſuo nomine , alia enim *Diaſyrmus* dicitur , ut illud Virgilii : *(c)*

Larga quidem ſemper , Drance , tibi copia fandi
Tunc quum bella manus poſcunt , patribuſque vocatis
Primus ades : ſed non replenda eſt Curia verbis .

Alia dicitur *Charientiſmus ,* ut apud eundem : *(d)*

Qui Bavium non odit , amet tua carmina Mœvi ,
Atque idem jungat vulpes , & mulgeat hircos .

Mœvius ineptus Poeta . Jocus cum ſuavitate mordax . *Verum , &* Sarcaſmus, *& hac duo poſtrema Tropis improprie accenſentur , conſtant enim verbis propriis , propriamque habent ſignificationem . Propterea ad ſententiarum magis figuras pertinent . Sunt qui Tropis* Onomatopejam , *&* Periphraſim *addunt ; Veram illa Gramma-*

[a] *Philip.* 7. (b) *Aen.* 10. (c) *Aen.* 11. (d) *Ecl.* 3.

maticorum magis, quam Rethorum figura eſt. Hac ad ſchemata refertur ſententiarum. Nam Periphraſis, qua eſt pluribus verbis compoſita oratio, quamvis interdum unius vocis locum ſuppleat, & ſimplex aliquid ſignificet; eſt tamen integra, & aliquando multiplex ſententia, in qua verba id proprie notant, quod illis ex hominum conſuetudine decretum eſt.

De Figuris generatim.

I QUid eſt *Figura?*

1 Figura, quæ *ſchema* etiam dicitur, eſt *Communis dicendi forma arte immutata.* Significat: nihil per figuram præterea dici, quam quod communi dicendi ratione exponitur; Verum idem figura immutat, & in melius reddit. Sit exempli loco hoc effatum *Pulcrum, & decorum eſt Patriam defendere.* Nulla in eo figura. Dicamus. *An non pulcrum & decorum eſt Patriam defendere?* Vel: *Quis Patriam defendat, niſi id pulcrum ac decorum exiſtimaverit?* Vel: *Niſi Patriam defendere præclarum eſt, O eos dementes, qui eandem ab armis, a cade, ab hoſtibus propugnaverint!* En figuras?

II Quomodo *figura* a Tropis differunt.

2 *Differunt, quod vel non utuntur, vel non egent translationibus.*

III Quot ſunt *figurarum* claſſes?

3 Duæ aſſignari ſolent. Propterea aliæ ſunt *Figura verborum*, aliæ *Figuræ ſententiarum.* Illæ dicuntur *verborum*, quia in verbis poſitæ ſunt, quæ verba ſi immutentur, aut aliter collocentur, figura eſſe deſinit. Hæ vero *ſententiarum* appellantur, quod in rebus ſint poſitæ, mutatiſque etiam verbis permaneant.

IV Habent ne Figuræ certum numerum, aut una ab omnibus ratione traduntur?

4 Rem hanc Tullius [a] infinitam dicit. *Aliis plures* ſunt, *aliis pauciores.* Alia aliis ratio eaſdem recenſendi.

De

[a] *in Tropicis.*

De Figuris Verborum.

I QUomodo fiunt *figuræ verborum?*
1 *Fiunt, vel quod eadem voces* in oratione, *vel quod ſimiles adhibeantur.*

II Quænam ſunt, quæ ad primam claſſem pertinent, & quæ ad ſecundam?

Prima

Repetitio	Conduplicatio
Converſio	Conjunctio
Complexio	

Secunda

Diſſolutio	Similiter cadens
Trajectio, ſeu *Polyptoton*	Similiter deſinens
Annominatio, ſeu *Paronomaſia*	Compar, ſeu *Iſocolon.*

III Quid eſt *Repetitio?*

1 Repetitio, quæ græce *Anaphora*, eſt *Reaſſumptio ejuſdem vocis in principio*. Cicero (a) *Nihil ne te nocturnum Pręſidium Palatii, nihil Urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi Senatus locus, nihil horum ora, vultuſque moverunt?* Virgilius (b)

Tu *mihi quodcunque hoc Regni*, Tu *ſceptra Jovemque*
Concilias, Tu *das epulis accumbere divum*,

Fit etiam ſi non unicum verbum repetas, ut tale apud Ovidium [c]

Grande voco meritum *lacrymas, quibus ora rigabas*
Quum mea concreto ſicca dolore forent.
Grande voco meritum *mæſta ſolatia mentis &c.*

Et Cicero (d) Accuſant ii *qui fortunas hujus invaſerunt;* cauſſam dicit is, *cui pręter calamitatem nihil reliquerunt.* Accuſant ii, *quibus occidi Patrem Sexti Roſcii bono fuit:* cauſſam dicit is, *cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egeſtatem.* Accuſant ii &c. caſſam dicit is &c. Hæc eſt *Repetitio complexa*, immo & *gemina.*

Repe-

(a) *in Catil.* 1. [b] *Aen.* 1. (c) *de ponto lib.* 2. *Eleg.* 11.
[d] *Pro Roſcio Amerino.*

Repetitio magnam vim addit Orationi. Inſervit animi motibus, precipue ad inſectandum, vel commendandum.

IV Quid eſt *Converſio?*

2 Eſt *iteratio ejuſdem vocis in fine.* Exemplum habet Rhetor ad Herennium. *Pœnos Pop. Rom. juſtitia* vicit, *armis* vicit, *liberalitate* vicit?

V Quid eſt *Complexio?*

3 *Eſt repetitio ejuſdem vocis in principio, & in fine.* Fit autem vel in una, vel in pluribus ſententiis. Cicero (a) Tenetur *aliquando, & in rebus tum maximis tum manifeſtis* tenetur; Et Herennianus Præceptor, Commotus *non es, quum tibi mater amplexaretur pedes, non es* commotus? En complexionem in unica ſententia. In pluribus. Ad Herennium. Quem *Senatus* damnavit, quem *Populus Romanus* damnavit, quem *omnium exiſtimatio* damnavit *eum vos ſententiis veſtris abſolvetis?* Catullus in Ægnatium.

...... ſeu *ad rei ventum eſt*
Subſellium, quum Orator excitat fletum
Renidet ille: ſeu *pii ad rogum fili*
Lugetur, orba quum flet unicum mater,
Renidet ille &c.

Sunt & alii duo repetitionis modi; Alter quo idem verbum in medio ſententia iteratur, alter quo in pluribus ſententiis immutato ejus loco reſumitur. Cicero (b) *Quæ in Senatu* ſepe *ab inimicis; ab improbis* ſepe *jactata ſunt.* Auctor Tragediæ *Thieſtes* (c)

Quem dies vidit *veniens ſuperbum*
Hunc dies vidit *fugiens jacentem.*

En exemplum prioris modi. Alterius ſit illud (d)

Te *nemus Angitiæ, vitrea* Te *Fucinus unda*
Te *liquidi flevere lacus.*

& Catolli in carmine ſæculari

Diana ſumus in fide
Puellæ, & Pueri integri,
Dianam pueri integri,
Puellæque *canamus.*

IV Quid

(a) *in Verrem.* (b) *pro Milon.* [c] *Actu* 4.
(d) *Æen.* 7.

Digitized by Google

VI Quid eſt *Conduplicatio*?

4 *Eſt ea, qua idem verbum proxime duplicatur*. Fit autem in una, & in duplici ſententia. Fit initio ſententiæ, & deinceps. Cicero [*a*] Fuit, fuit *illis judicibus divinum, ac ſingulare conſilium*. Virgil. (*b*)

Ah Corydon, Corydon, *quæ te dementia cepit*.

Hæc in eadem ſententia. In duplici Tullius — (*c*) Vivis, & vivis *non ad depellendam, ſed ad confirmandam, audaciam*. Virgilius (*d*)

Pierides vos hæc facietis maxima Gallo;
Gallo, *cujus amor tantum mihi creſcit in horas*.

Figura hæc non ſuavitatem modo, ſed eam vim habet, quam emphaſim *græci appellant*.

VII Quid eſt *Conjunctio?*

5 Conjunctio Græcis *Polyſyntheton eſt crebra conjunctionum repetitio*. Cicero (*e*) Neque *privati quicquam*, neque *publici*, neque *profani*, neque *ſacri in Sicilia reliquiſſe*. Virgilius [*f*]

*Brontes*que, *Steropes*que, *&* *nudus membra Pyracmon*.

Figura hæc ad rem augendam opportuna.

Figura ſecunda Claſſis.

VIII Quid eſt *Diſſolutio*?

6 Græcis hæc figura *Aſyntheton* dicta, opponitur ſuperiori. Eſt autem *ſoluta conjunctionibus oratio*. Cicero [*g*] — *Conſtituenda judicia, revocanda fides, comprimenda libidines, propaganda ſoboles*, & in Catilinam. *Exceſſit, erupit, evaſit*. Virgil. (*h*)

Ferte citi ferrum, date tela: ſcandite muros:
Hoſtis adeſt.

Figura hæc valet ad celeritatem, animique impetum ſignificandum. A nobis inter figuras ſecundæ claſſis recenſetur, quia ad ſimiliter cadens accedit.

IX Quid eſt *Trajectio*, ſeu *Traductio*, vel *Polyptoton*?

7 *Eſt repetitio ejuſdem dictionis cum aliqua immutatione caſus numeri, generis, modi, vel temporis*. Cicero

[*a*] *Pro Fontejo*. (*b*) *Ecl*. 2. [*c*] *in Catil*. 1.
[*d*] *Ecl*. 9. (*e*) *in Verr*. 6. (*f*) *Aen*. 8.
(*g*) *Pro Marcel*. (*h*) *Aen*. 9.

10 (a) Sua *quemque fraus*, ſuus *error maxime vexat*, ſuum *quemque ſcelus agitat*. Idem (*b*) Pleni *ſunt omnium libri*, plenæ *ſapientum voces*, plena *exemplorum vetuſtas*. Virgilius (*c*)

Apparet *domus intus*, *&* *atria longa pateſcunt*,
Apparent *Priami*, *&* *veterum penetralia Regum*.

Fit hac figura, ne quum idem verbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, ſed etiam concinniorem orationem reddat.

X Quid eſt *Annominatio*, ſeu *Paronomaſia*?

8 *Eſt vocis alicujus cum aliqua immutatione in aliam ſignificationem deflexio*. Cicero (*d*) *T. Roſcius terret etiam nos*, *&* *minatur tribus* prædiis, *hoc eſt* præmiis *ſceleris ornatus*. Idem (*e*) *Civis bonarum* artium, *bonarum* partium, *bonorum* Virorum. Terrentius [*f*] *Inceptio eſt* amentium, *haud* amantium.

Hac Figura luſibus, jocis, & venuſtatibus convenit. Verum non delectat modo, ſed pungit interdum vehementer. Cicero [*g*] in Antonium. *Quum in gremiis mimarum* mentum, *&* mentem *deponeres*.

Auctor Tragediæ *Troades*.

O tumide, *rerum dum ſecundarum ſtatus*
Extollit animos, timide, *quum increpuit metus &c.*

Fit pariter, eadem omnino voce ſervata, quæ aliud aliter prorſus ſignificet. *Ad Herennium Scriptor quædam affert exempla, quorum unum ſic*. Amari *jucundum eſt, ſi curetur ne quid inſit* amari. *Cavendum tamen* ne his Oratoria gravitas, & ſeveritas minuatur, & ne hujus affectandæ cauſſa cogitatio frigeſcat, *quod ſæpe accidit Martiali, aliiſque non Poetis modo, verum & Oratoribus, & Hiſtoricis talia conſectantibus*.

XI Quid eſt *Similiter cadens* Græce *Omioptoton*?

9 *Eſt exornatio, qua plura nomina iiſdem caſibus, & numeris, vel plura verba iiſdem modis, temporibus, ac perſonis ſimiliter efferuntur*. Cicero (*h*) — *Ad hanc Te amentia natura peperit, voluntas exercuit, fortuna ſervavit*.

Idem

[*a*] *pro Roſc.* (*b*) *pro Arch.* (*c*) *Aen. 9.*
(*d*) *pro Roſc. Amer.* [*e*] *pro Cœlio.* [*f*] *Andr.*
(*g*) *Philipp. 13.* [*h*] *in Catil.*

Idem (a) — Quanta innocentia *debent eſſe* Imperatores ! quanta *deinde omnibus in rebus* temperantia ; quanta fide ; quanta facilitate, quanto ingenio ; quanta humanitate !

XII Quid eſt *Similiter deſinens* , , grece *Omiteleuton* ?

10 *Eſt exornatio , qua partes Orationis iiſdem fere ſyllabis deſinunt*. Cicero (b) *Ut ejus ſemper voluntatibus non modo Cives aſſenſerint ; Socii obtemperarint ; hoſtes obedierint ; ſed etiam venti , tempeſtateſque obſecundarint* ; Rhetor Herennianus. *Perditiſſima ratio eſt amorem petere , pudorem fugere, diligere formam , negligere famam*.

Hæc , & ſuperior figura , quarum altera in caſus , altera in exitus ſimilitudine verſatur , inter ſe vehementer conveniunt , & qui his bene utitur , plerumque ſimul eas collocat in iiſdem partibus Orationis.

XIII Quid eſt *Compar* , ſive *Iſocolon* ?

11 *Eſt Oratio ex membris pari prope numero ſyllabarum conſtantibus*. Cicero (c) *Plura bella geſſit , quam ceteri legerunt , plures provincias confecit, quam ceteri concupierunt*. Vel ibid. *Pompejus bellum extrema hyeme apparavit , ineunte vere ſuſcepit , media æſtate confecit*.

Item hæc duobus ſuperioribus conjungitur . Generatim hę figuræ , quarum decus in ſimilitudine poſitum eſt; *quamvis ubique locum habent* , commendatur tamen maxime in ſententiis, ut ſuavius in animum influant , eique inhæreant . *Moderatus tamen earum uſus eſto . Monet Fabius (d) ubi atrocitate , miſeratione , invidia pugnandum ; iraſcentem , flentem , rogantem* , pariter cadentia *dedere*.

De Figuris Sententiarum.

I Quid ſunt *Figurę Sententiarum* ?
Sunt , quę integram ſententiam aliquo animi motu afficiunt , eamque exponunt .

II Dividunturne in plures claſſes ?

Tam varia eſt apud Rhetores earum diviſio , ut prorſus arbitraria eſſe videatur ; Alii aliam prorſus in iis recen-

C ſen-

(a) *pro Leg. Manil.* (b) *pro Leg. Manil.*
(c) *pro Leg. Manil.* (d) *lib. 9. cap. 3.*

Digitized by Google

ſendis methodum tenent. Nos in tres Ordines dividemus. Primus Figuras complectetur, quæ valent ad confirmandum, & confutandum, Secundus eas, quæ ad explicandum, exaggerandum, amplificandum, Tertius, quæ ad exprimendos, & commovendos affectus. Verum non unum ſingulæ uſum habent, non unam vim. Oratoris eſt, quas voluerit in omni orationis genere libere, ac viriliter uſurpare?

Figuræ primi Ordinis.

I Quid eſt *Interrogatio?*

1 *Figura eſt, quæ non ad ſciſcitandum, ſed ad inſtandum, vel arguendum, aut ad alium hujuſmodi finem adhibetur.* Ad ſciſcitandum Interrogatio, figura non eſt. Cicero (a) *Quæ libido ab oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? Quid eſt Catilina? Ecquid attendis? Ecquid animadvertis horum ſilentium? Patiuntur: tacent. Quid exſpectas authoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perſpicis?* Vel illud *Patere tua conſilia non ſentis? conſtrictam jam horum omnium conſcientia, teneri conjurationem tuam, non vides? &c.* Sine figura hic erat Ciceronis ſenſus: *Patent tua conſilia, omnes ſciunt conjurationem tuam &c.* Vide quam acris, & vehemens figura fiat interrogatione.

Eſt hujus figuræ uſus maximus. Utimur ad affeverandum, & urgendum: ad indignationem, admirationem, alioſque motus. Valet ad probandum, *nam eo Orator interrogat, quod ſciat nihil eſſe Adverſario, quod reſpondeat.* Attentionem conciliat, *quia curioſitatem quandam excitat id cogitandi, quod poſſit Adverſarius rependere.* Varietatem denique Orationi affert, *nihil enim eſt, quod hac ſuſtentari figura non poſſit.*

II Quid eſt *Subjectio?*

2 *Eſt figura, quæ interrogat, ſuaque interrogationi reſpondet.* Cicero (b) *Quid tandem impedit te? Mos ne Majorum? At perſæpe etiam privati in hac Repub. pernicioſos Cives morte multarunt. An leges quę de Civium Romanorum ſupplicia rogata ſunt? At nunquam in hac Urbe ii, qui a Repub. defecerunt, civium jura tenuerunt.* 3 Sub-

(a) *in Catil. 1.* [b] *in Catil. 1.*

3 Subjectio Repetitioni conjuncta miram vim habet. Sit exemplo illud Tulli [a] *Tu meam Domum religioſam facere potuiſti? Ecqua mente? qua invaſeras. Quà manu, qua diſturbaras? Qua voce? qua incendi juſſeras. Qua lege? quam, ne in illa quidem impunitate tua, ſcripſeras.*

4 Allata exempla perfectam ſubjectionem indicant. Eſt tamen alia quædam *Subjectio imperfecta*, in qua interrogatio reticetur, proponitur tamen aliquid, cui itidem reſpondetur. Cicero (b) *Vocat: veniendum. Poſcit: dandum. Ejicit: abeundum. Minatur: extimeſcendum.* Idem [c] *Male judicavit populus: At judicavit. Non debuit: At potuit. Non fero: At multi clariſſimi, & ſapientiſſimi Cives tulerunt.*

Subjectio multum habet gravitatis, & acrimoniæ, ad inſectandum, & convincendum. *Quum enim omnia diſſoluta ſunt, quæ reſponderi poſſint, Auditorem oportet in noſtram pertrahi opinionem.*

III Quid eſt *Suſtentatio*?

5 *Eſt figura, quæ animos auditorum excitat ad expectationem, & mirum aliquid ſubjungit.* Cicero (d) dicturus Leonidæ ſervos conjurationis damnatos, ob acceptam pecuniam dimiſſos fuiſſe; ita: *Etiamnum mihi exſpectare videmini, Judices, quid deinde factum ſit. Quod iſte nihil unquam fecit ſine aliquo quæſtu, atque prada. Quid enim in ejuſmodi re fieri potuit? Quod commodum eſt. Expectate facinus, quam vultis, improbum; vincam tamen exſpectationem omnium. Nomine ſceleris, conjurationiſque damnati, ad ſupplicium traducti, ad palum alligati: repente multis millibus hominum inſpectantibus, ſoluti ſunt, & Leonidæ illi domino redditi.*

Hæc figura ſæpe cum *Subjectione*, ſæpe cum *Dubitatione*, de qua mox dicam, conjungitur. Multum erigit auditorum animos, attentionemque conciliat. *Cavendum tamen* ne magna pollicitus minima exſequare, nam ſecus Horatianum aderit.

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

IV Quid eſt *Dubitatio*.

 6 *Eſt*

[a] *Ad Heruſpices.* (b) *Paradox.* 5.
[c] *pro Planc.* (d) *In Verr.* 7.

6 *Eſt figura ; qua Orator animi pendens quærit quid dicendum, vel quid agendum.* Hinc Voſſius aliam dicit *Verborum* ſeu in verbis dubitationem, alteram *in rebus*. Illa eſt, *qua dubitatio nonniſi verbo aliquo affirmatur*. Talis ea Ciceronis (a) *Itaque quo me vertam neſcio ;* & in Verrem (b) *Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium; ut amici ejus, morbum, & inſaniam : ut Siculi, latrocinium; ego quo nomine appellem neſcio.*

7 Dubitatio *rerum* vel *in rebus* ea eſt, *qua affectus, motuſque dubitantis animi per ſigna exprimitur*. Cicero (c) *Quid agendum eſt? Quis Deus appellandus eſt? Cujus hominis fides imploranda eſt? Qui denique queſtus, qui mæror dignus inveniri in calamitate tanta poteſt?* Virgilius vero mirifice fluctuantem Didonis animum pinxit. (d)

En quid agam? Rurſus ne procos irriſa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia ſupplex?
Quos ego jam toties ſum dedignata maritos?
Iliacas igitur claſſes, atque ultima Teucrum
Juſſa ſequar?

Hoc ſchema plurimum Orationem amplificat. Conciliat attentionem; Laudantem, reprehendentem, dolentem, timentem decet. In exordiis non Orationum modo, verum etiam epiſtolarum *locum habet*.

V Quid eſt *Communicatio*?

8 *Eſt figura, qua vel Auditores, vel Judices, vel Adverſarios conſulimus*. Cicero (e) *Quid agam, Judices? Quo accuſationis meæ rationem conferram? Quo me vertam?* Idem [f] *Quæro, ſi Te hodie domum tuam redeuntem coacti homines, & armati, non modo limite, tectoque ædium tuarum, ſed primo aditu, veſtibuloque prohiberent, quid acturus ſis?*

Hæc figura purgando crimini, fatendove, aut refellendo *perutilis*. *Cum Adverſario agit* ut extorqueat Confeſſionem, *cum Judice, vel cum Auditore*, ut ipſum demereatur; *prodeſt enim ad benevolentiam, nos in Judicum æquitate, Auditorumve prudentia, cauſam noſtram quodammodo collocare.*

VI Quid

[a] *pro Ligar.* (b) *Act. 6.* (c) *pro Quinct.*
(d) *Aen. 4.* [e] *In Verr. Act. 6. lib. 5.*
[f] *pro Cæcin.*

VI Quid eſt *Conceſſio?*

9 *Eſt figura, qua aliquid cauſſæ fiducia concedimus*. Cicero (a) *Tribuo Græcis litteras, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam; denique etiam, ſi qua ſibi alia ſumunt, non repugno. Teſtomoniorum Religionem, & Fidem nunquam iſta natio coluit*.

10 Utitur hæc figura hujuſmodi verbis, aut formulis. *Fateor, Concedo, Do, Sit ita, Confitendum eſt &c.* Virgil. (b)

Non dabitur Regnis, eſto, *prohibere Latinis*,
Atque immota manet fato Lavinia Conjux;
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus:
At licet amborum populos exſcindere Regum.

11 Interdum *Ironia* conjugitur; fitque ad conflandam invidiam, præcipue quum ea Adverſario conceduntur, quæ concedi non poſſunt. Cicero pulcherrime (c) *Verum eſto. Eripe hæreditatem propinquis, da Palæſtritis. Prædare in alienis bonis nomine Civitatis. Everte leges, monumenta, voluntates mortuorum, jura vivorum. Num etiam Heraclium bonis exturbare oportuit?*

12 Interdum *Deprecationi Conceſſio* miſcetur, ut aliquid, quamquam graviſſimum concedere ſimulantes; cum illud a nobis avertamus, tum poſtulatum facilius obtineamus. *Venus* apud Virgilium (d) Jovem ad miſerationem conceſſione urget artificioſa.

. . . . . *Vincant quos vincere mavis*.
Si nulla eſt regio Teucris, quam det tua Conjux
Dura: per everſa, Genitor, fumantia Trojæ
Excidia, obteſtor, liceat dimittere ab armis
Incolumen Aſcanium, liceat ſupereſſe nepotem.
Æneas ſane ignotis jactetur in undis
Et quamcunque viam dederit fortuna ſequatur.
Hunc tegere, & dira valeam ſubducere pugna &c.

Fit hæc figura interdum, neceſſitate cauſſæ, interdum, ut Adverſario obſit, ad eum deludendum, aut criminandum. *Sic Cicero* (e) Habes igitur Tubero (quod accu-

(a) *pro Flacco*. (b) *Aen.* 7. [c] *In Ver.* 4.
[d] *Aen.* 10. [e] *pro Ligar.*

accuſatori maxime optandum) confitentem reum ; ſed tamen ita confitentem ſe in ea parte fuiſſe , qua Te , Tubero , qua Virum omni laude dignum Patrem tuum . Itaque prius de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quam Ligarii culpam reprehendatis . *Utilis conceſſio* .

VII Quid eſt *Correctio* , ſeu *Retractatio* ?

13 *Eſt figura , qua quod dictum eſt emendatur* . Cicero [*a*] *In hoc ferendus meus error . Ferendus inquam ? Immo etiam adjuvandus* . Idem [*b*] *Nunquam in Civili bello ſupplicatio decreta eſt . Decretam dico ? Ne victoris quidem litteris poſtulata* , & in Catilinam *Quamquam quid loquor ? Te ut ulla res frangat ? Tu ut unquam te corrigas ? &c.*

14 Interrogationi plerumque innititur , ut allata probant exempla . Verum & ſine illa . Pro Milone . *Quas ille leges , ſi modo leges nominandæ ſunt , ac non faces urbis , & peſtes Reipublicæ &c.*

Correctio multam vim rei adjungit . Odium , ciet . Miſericordiam item ; *ut illud Terentii (c)*

...... Filium unicum adoleſcentem
Habeo . Ah , quid dixi habere me ? immo habui , Chreme ,
Nunc habeam nec ne , incertum eſt .

VIII Quid eſt *Licentia ?*

15 *Eſt major quædam , non tamen ſine cauſſa , & modo loquendi libertas* . Cicero (*d*) *Non deeſt conſilium Reipublicæ , neque auctoritas hujus ordinis . Nos , nos , dico aperte , Conſules deſumus* . (*e*) *Quid de reliquis Reipublicæ malis ? Licetne dicere ? Mihi vero licet , & ſemper licebit dignitatem tueri , mortem contemnere* .

16 Ad hanc formulæ quædam in promptu ſunt . *Libere dicam , Pace veſtra dixerim , Abſit verbo invidia &c.*

Hæc fit , monendi , objurgandi , aut etiam laudandi gratia . *Hac Orator* auctoritatem , fiduciam , ſinceritatem oſtendit . *Si acrior eſſe videatr , mitigatione aliqua* , veniæ , laudis , aſſimulationis *leniatur* .

IX Quid eſt *Præoccupatio* , ſeu *Occupatio* , aut *Præſumptio* ?

17 Eſt

[*a*] *Ad Attic.* (*b*) *Philipp.* 14. (*c*) *Heaut. Act.* 1.
(*d*) *Pro Ligar.* (*e*) *Philipp.* 1.

17 *Eſt figura, qua prævenimus, & diluimus quod objici poſſet*. Duas habet partes, *Objectionem, & reſponſionem*. Cicero (*a*) *Dicet aliquis. Quid ergo, in hoc, Verrem reprehendis, qui non modo ipſe fur non eſt, ſed ne alium quidem paſſus eſt eſſe? Attendite. Jam intelligitis hanc pecuniam, quæ via modo viſa eſt exire ab iſto, eadem ſemita revertiſſe*. Illa apud Virgilium (*b*) qua Dido furit, pulcherrima eſt occupatio.

> *Non potui abreptum divellere corpus & undis*
> *Spargere? non ſocios, non ipſum abſumere ferro*
> *Aſcanium, patriiſque epulandum ponere menſis?*
> *Verum* anceps pugnæ fuerat fortuna: *Fuiſſet*.
> *Quem metui moritura?*

Hæc figura non in ea modo parte Orationis, quæ Confutatio dicitur, locum habet; verum & in aliis pro opportunitate, immo & in Exordio. Prudentium Oratoris requirit. Cavendum ne validior ſit objectio, quam reſponſio. *Niſi Reſponſio adverſarium conficiat, ne* Occupatione *utatur Orator. Quum Adverſarii argumenta infirmiora ſunt, ea amplificentur, ut quantum illorum imbecillitas apparebit, tantum ea validiora oſtendantur, quæ cauſſam noſtram ſuſtentat*.

Figuræ ſecundi Ordinis.

1 QUid eſt *Deſcriptio?*

1 *Eſt figura, quæ ita res exprimit, ut ſubjicere oculis videatur*. Cicero in Verrem [*c*] *Stetit ſoleatus Prætor Populi Romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in littore*. Virgil. [*d*]

> *Conſtitit in digitos exemplo arrectus uterque*
> *Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras.*
> *Abduxere retro longe capita ardua ab ictu,*
> *Immiſcentque manus manibus, pugnamque laceſſunt &c.*

Et inferius de Dareta

[*a*] *In Verr.* 3. [*b*] *Aen.* 4. (*c*) *Act.* 7. [*d*] *Aen.* 5.

Aſt illum fidi æquales genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, craſſumque cruorem
Ore rejectantem, miſtoſque in ſanguine dentes
Ducunt ad Naves.

Valet hæc figura ad ornandum, delectandum, & movendum, *nam ut res, quæ oculis objiciuntur animum magis penetrant, ita quæ deſcribuntur.* Cavendum tamen ne ſit prolixior, aut nimis minuta.

2 Deſcriptio brevior, ſumme tamen evidens *Icon*, ſeu *Imago* dicitur. Oratoribus uſuvenit interdum ut illud Ciceronis (*a*) *Repente enim te, tanquam ſerpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intuliſti.* Poetis eſt familiaris; ut illud Virgilii: (*b*)

Et trepidæ matres preſsere ad pectora natos.

3 Sunt variæ deſcriptionis ſpecies. Verum de his inferius diſtincte, alio in Libro agemus, & exempla ſingularum ex optimis Auctoribus afferemus.

II Quid eſt *Interpretatio?*

4 *Eſt verborum, vel ſententiarum, eandem rem exprimentium iteratio.* Cicero (*c*) *Abiit, exceſſit, erupit, evaſit.* Idem [*d*] *Promitto, recipio, ſpondeoque.* Hæc in verbis. In ſententiis autem. [*e*] *Sua quemque fraus, & ſuus error maxime vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit; ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque maxime terrent;* & illud (*f*) *Quid enim Tubero tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus, mucro ille petebat? Quis ſenſus erat armorum tuorum?* Virgilius (*g*)

Quem ſi fata Virum ſervant: ſi veſcitur aura
Ætheria, nec adhuc crudelibus occubat umbris.

Utimur hac figura quoties non uno verbo, unaque ſententia nobis videmur ſatis rem, ejuſque magnitudinem demonſtraſſe. Gravem efficit, acremque orationem. *In hac immoramur quum* aſſeverandi, indignandi, dolendi, miſerandi, lætandi, vel exprobrandi cauſſa, *utilem eſſe Orationi ducimus. Opus eſt* delectu, & vi verborum; *Cavendumque* ne in re levi *diutius inſiſtas.*

5 Sunt

(*a*) *in Vatinium.* (*b*) *Aen. 7.* [*c*] *in Catil. 2.* (*d*) *Philipp. 5.* [*e*] *pro Sexto Roſc.* (*f*) *pro Ligar.* (*g*) *Aen. 1.*

5 Sunt qui *Synonimiam* tamquam aliam ab *Interpretatione* figuram adjiciant. Verum, aut nulla, aut certe parum utilis figura eſt ſi ab *Interpretatione* ſejungatur.

III Quid eſt *Expolitio*?

6 *Eſt oratio, unam, eandemque rem variis figuris, modiſque explicans, & exornans*: Ex Auctore ad Herennium; *dupliciter fit; ſi aut eandem plane dicimus rem, aut de eadem re*. Primo modo figura dici poterit, ſeu figurarum ſuper eandem ſententiam, nexus quidam, & conſervatio. Altero autem amplificatio quædam eſt, aut Oratoria illa exercitatio quæ dicitur *Chria*. De hac alibi. Exemplum figuræ eſto Ciceronianum illud pro Milone. *Eſt enim hęc Judices, non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.*

Figura hęc ſuperiori prorſus affinis. Eam multi pro una eademque accipiunt, quod non diffiteor, ſi de Interpretatione loquamur, quatenus ſententias ingeminat. Habet eandem uſum, & eadem cavenda, quę ibidem monuimus.

IV Quid eſt *Incrementum*?

7 *Eſt figura, qua oratio veluti per quoſdam gradus ab infimo, ad ſummum creſcit*. Cicero [a] *Facinus eſt vincire Civem Romanum, ſcelus verberare, prope parricidium necare*, & pro Miloue. *Capere ejus amentiam Civitas, Italia, Provincię, Regna non poterant*: & in Catilinam. *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo non audiam, ſed etiam non videam, planeque ſentiam.*

Valet ad axaggerandum, & augendum. *Cavendum* ut vere id ſubjiciatur, quod majoris ſit ponderis. *Fit etiam hęc figura ad minuendum*; Tum præpoſterus ordo ſervandus, & ea deinceps adjungenda, quæ decreſcant, *ut in illa Ciceronis epiſtola ad Lentulum*. Aut occulta nonnullorum odia, aut obſcura in me ſtudia cernebam: *& illud*; Præſto tibi ero ad juſſum, ad verbum, ad nutum.

V Quid eſt *Gradatio*?

8 Eſt

(a) *In Verr. 7.*

9 *Eſt figura, qua ab uno, ad aliud tranſeuntes, praecedenti aliquo verbo, ſequentes ſententias connectimus.* Cicero [a] *In urbe luxuria creatur; ex luxuria exſtat avaritia neceſſe eſt, ex avaritia erumpat audacia: inde omnia ſcelera, & maleficia gignuntur.* Et pro Milone. *Neque vero ſe populo ſolum, ſed etiam Senatui commiſit; nec Senatui modo, ſed etiam ejus publicis praeſidiis, & armis, neque his tantum, ſed etiam ejus poteſtati, cui Senatus totam Rempublicam commiſit.*

9 Hæc quoque figura fit per diminutionem. Cicero pro Quinctio. *Si debuiſſem Sexte, petiſſes ſtatim, ſi non ſtatim, paullo quidem poſt, ſi non paullo poſt, at aliquando.* Et Virgilius (b)

> *Torva Leana Lupum ſequitur, Lupus ipſe Capellam,*
> *Florentem cytiſum ſequitur laſciva Capella.*

In hac figura, gradus nonnulli: & verborum repetitione. & augmento, aut decremento rei ipſius ſervantur. Interdum tamen, neque creſcit, neque decreſcit, ſed tantum ſuccedit oratio: ut in illo ad Herennium [c] Imperium Græciæ fuit apud Athenienſes, Athenienſium potiti ſunt Spartiatæ, Spartiatas ſuperavere Thæbani; Thæbanos Macedones vicerunt &c. *Hujus uſus, Fabii monitu, ne ſit frequentior, niſi res ipſa ſucceſſionem, & gradum habeat, ut in familiarum, imperiorumque ſucceſſionibus, & ſimilibus.*

VI Quid eſt *Congeries?*

10 *Eſt Oratio, in qua diverſa res cumulantur nullo dignitatis, aut ſignificationis ordine ſervato.* Cicero (d) *Hominem ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum:* & illud (e) *Pater occiſus nefarie: domus obſeſſa: ab inimicis bona adempta, poſſeſſio direpta, filii vita infeſta, ſape ferro, atque inſidiis appetita.*

Gravem, & vehementem Orationem efficit. Prodeſt quum multa ad dicendum remanent, *nec certo ordine diſponi poſſunt.*

VIII

(a) *pro Sext. Roſc.* [b] *Ecl. 2.*
[c] *Lib. 4.* (d) *pro M. Cælio.*
(e) *pro Sext. Roſc.*

VII Quid eſt *Diſtributio?*

11 *Eſt figura pluribus rebus, aut perſonis peculare aliquid tribuens.* Tullius (a) *Videre te equites Romani non poſſunt, quo ex ordine vir præſtantiſſimus Ælius, eſt, te Conſule, relegatus: Plebs Romana perditum cupit, in eujus tu infamiam ea, quæ per latrones, & per ſervos de me egeras eontuliſti: Italia cuncta execratur, cuius idem tu ſuperbiſſime, decreta, & preces repudiaſti.* Idem [b] *Non avaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam revocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas Urbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem.*

Hac figura a ſpeciebus, & partibus plerumque deſumitur. *Ornatus, & copia cauſſa vera eſt figura. Sin rei neceſſitate inſtituatur, non ad elocutionis ſchemata, ſed ad loca amplificationis pertinebit.*

VIII Quid eſt *Preteritio?*

12 *Eſt figura, qua affirmamus id a nobis omitti quod maxime dieimus.* Ciceroni fuit in deliciis figura hæc, cujus innumera apud ipſum exempla reperiuntur: Pro Provinciis Conſularibus. *Itaque omnia illa, quæ & ſæpe audiſtis & tenetis, etiam ſi non audiatis, prætermitto. Nihil de hac ejus urbana, quam ille præſens in oculis veſtris, mentibuſque defixit, audacia loquor: nihil de ſuperbia, nihil de contumacia, nihil de erudelitate diſputo. Lateant libidines ejus illæ tenebricoſæ, quas fronte, & ſupercilio, non pudore, & temperantia contegebat.* Et de Pompejo [c] *Itaque non ſum prædicaturus, Quirites, quantas ille res domi, militiaque, terra, marique, quantaque felicitate geſſerit: ut ejus ſemper voluntatibus, non modo cives aſſenſerint, ſocii obtemperaverint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti, tempeſtateſque obſecundarint: hoc breviſſime dicam &c.* Virgilius quoque exemplum ſuppeditat. (d)

Quid repetam exuſtas Ericinio in littore claſſes?
Quid tempeſtatum Regem, ventoſque furentes
Æolia excitos, aut actam nubibus Irim?

13 Sunt huic figuræ formulæ quædam familiares, quibus inducitur, & variatur. *Taceo. Prætereo. Omitto. Nihil dicam,*

(a) *in Piſon.* (b) *pro Leg. Manil.*
[c] *pro Leg. Manil.* (d) *Aen. 10.*

dicam. Dicere pudet. Quid me attinet dicere? Per me lateat. Pudet referre. Quid eſt cur dicam? Quid ſi nunc ea repeterem? Qua, & quanta dicerem ſi liceret &c.

Convenit laudanti, reprehendenti, confirmanti, ac refellenti, *Ubi multa enumeranda accidunt, ubi odioſa quadam innuenda, prateritio mirifice invehitur in Orationem.*

IX Quid eſt *Contrapoſitum*, ſeu *Antitheſis*?

14. *Eſt oppoſitorum contentio.* Fit verbis, & ſententiis, ideſt, vel quum verba verbis, vel quum ſententiæ ſententiis opponuntur. Cicero (a) *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* En verba verbis oppoſita. Sententiæ cum ſententiis certant. In Verrem (b) *Conferte hanc pacem, cum illo bello; hujus Pratoris adventum, cum illius Imperatoris victoria; hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto; hujus libidines, cum illius continentia. Ab illo qui cepit conditas; ab hoc qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas.* Juno indignans apud Maronem (c) *Antitheſi* utitur.

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo.

15 Sunt quædem *Contrapoſita*, in quibus contrarietas ex priorum verborum inverſione producitur. Exemplum adeſt [d] ad Herennium. *Eſſe oportet, ut vivas, non vivere, ut edas.* Item, *Ea re poemata non facio, quia cujuſmodi volo, non poſſum; cujuſmodi poſſum, nolo.* Et Plinius in Panegeri. *Non ideo viciſſe videris, ut triumphares, ſed triumphare, quia vinceres. Antitheſis* hujuſmodi dicitur etiam *Commutatio*, & aliquibus eſt peculiaris figura.

16 Alia ſunt *Contrapoſita*, quæ in apparenti terminorum contradictione conſiſtunt, ut illud Tullii de Catone: [e] *Nunquam minus otioſus, quam quum otioſus, nec minus ſolus, quam quum ſolus.* Idem in Catilinam. *Quum tacent, clamant.* Et in Bruto. *Ipſa de qua diſputare ordimur, eloquentia obmutuit.* Et inferius. *Eloquentia loqui didicit.*

Hæc figura convenit & laudanti, & arguenti. *Cavendum ne ſit frequentior, & ne immoderate affectetur.* Secundo, & tertio modo, multo majorem ſobrietatem,

(a) *pro Cluentio.* (b) *Act. 6.* [c] *Aen. 7.*
[d] *Lib. 4. Rethoricorum.* (e) *De offic. lib. 3.*

tem. & acrius ingenium, judiciumque requirit; *Secus non venuſtatum fons erit, ſed ineptiarum.*

X Quid eſt *Nefas dictu*, ſeu minus latina voce *Impoſſibile?*

17 *Eſt comparatio eorum, quæ fieri non poſſunt cum iis, quæ fieri non poſſe, vel non debere cenſemus.* Cicero [a] *Prius unda, & flamma in gratiam redeant, quam cum Antonio Reſpublica.* Virgilius (b)

Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces;
Quam noſtro illius labatur pectore vultus.

Magnam vim habet ad ſignificandum, & exaggerandum. *Poetis tamen, quam Oratoribus familiarior.*

XI Quid eſt *Paradoxum?*

18 *Eſt dictum mirabile præter communem opinionem.* Cicero (c) *Solus ſapiens eſt dives. Sola virtus eſt bona.* In Oratione pro Marcello. *Ipſam victoriam viciſſe videris Cæſar.*

Congruit ſæpe cum Antitheſi poſterioris claſſis.

Id cavendum quod ſupra.

XII Quid eſt *Emphaſis?*

19 *Eſt figura plus ſignificans, quam dicens.* Tullius pro Ligario. *Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non eſſet, quantam tu per Te, per Te, inquam, obtines: Intelligo quid loquar &c.* Exemplum habet Virgilius (d) ubi Damon ſe caprum quendam cantando viciſſe affirmat, quem furto ſublatum Menalcas criminabatur. Menalcas vero reſpondet. En locum Poetæ: Dam.

An mihi cantando victus, non redderet ille,
Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula, caprum?
Si neſcis meus ille caper fuit, & mihi Damon
Ipſe fatebatur; ſed reddere poſſe negabat.
Men *Cantando? Tu? illum?*

Significat vinci non potuiſſe Damonem peritum canendi Paſtorem a Menalca vulgari cantore. Emphaſis, & Interrogatio longam ſententiam ſuplent, ut etiam in *Medea* Tragedia. *Medea, fugiam?*

Pronomina magnam vim habent in hac figura.

XIII

(a) *Philipp.* 12. [b] *Ecl.* 1.
(c) *Paradox.*
[d] *Ecl.* 3.

XIII Quid eſt *Epiphonema?*

10 *Eſt rei narrata, vel probata ſubjecta ſententia* Cicero (a) Poſteaquam exaggeravit mitiſſimum Cæſaris animum hæc ſubdit. *Recte igitur unus inventus eſt, a quo etiam ipſius victoria conditio, viſque devicta eſt.* Et Virgilius [b] Trojanorum caſibus enarratis.

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

Additur Epiphonema, vel admirationis, vel epilogi, vel moris inſtituendi cauſſa, vel ut ſententia, *tanquam corona*, compleat, quæ dicta ſunt, & exornet.

Figura Tertii Ordinis.

I Quid eſt *Apoſtrophe?*

1 *Eſt converſio ſermonis ad aliquem.* Cicero (c) *Vos Vos appello, fortiſſimi Viri, qui multum pro Republica ſanguinem effudiſtis, vos in Viri, & Civis invicti appello periculo, Centuriones, voſque, Milites: Vobis non modo inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic judicio præſidentibus, hac tanta virtus ex hac Urbe expelletur?* Idem (d) *Proh Dii immortales, cur interdum in hominum ſceleribus maximis aut connivetis, aut præſentis fraudis pœnas in dies reſervatis?* Idem (e) *Vos enim jam Albani tumuli, atque luci; Vos, inquam, imploro, atque obteſtor, voſque Albanorum obruta ara, Sacrorum Populi Romani ſocia, & aquales &c.* Virgilius [f] Mezentium Rhæbum equum ſuum compellantem facit.

Rhæbe diu, res ſiqua diu mortalibus agris,
Viximus &c.

Et Didonem Æneæ munera alloquentem:

Dulces exuviæ, dum fata, Deuſque ſinebant
Accipite hanc animam, meque his exſolvite curis.

2 Conſtat ex allatis exemplis fieri Apoſtrophen ad præſentes, ad abſentes, ad Deos, ad Homines; ſeu viventes, ſeu mortuos, immo ad res ſenſu, & ratione carentes.

Hæc

[a] pro Marcello. (b) Aen. 1.
(c) pro Milone. (d) pro M. Cœlio.
(e) pro Milone. (f) Aen. 10.

Hæc figura magnam vim habet ad reprehendendum, ac refellendum. *Convenit* dolenti, lætanti, & cuilibet magno quodam animi motu excitato. *Cavendum ne ſit crebrior: ne prolixior. Poetis frequentior accidit, nam ea quæ metri difficultas aliter efferri non ſinit, apoſtrophe faciliori negotio complectitur. Innumera ſuppetunt exempla.*

II Quid eſt *Exclamatio*?

3 *Eſt vehementioris affectus expreſſio per alicujus Perſonæ, vel rei compellationem.* Plerumque interjectio adhibetur; Cicero *(a) O ſcelus, o peſtis, o labes!* Idem [b] *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias facile ſe per ſe ipſa defendit!* Virgil. *(c)*

. . . . . O quæ ſatis una dehiſcat
Terra mihi, maneſque Deam demittat ad imos!

4 Interjectiones, quibus utitur *Exclamatio* ſunt hujuſmodi. *Oh! Ah! Vah! Proh. Proh ſuperum, atque Hominum Fidem, Heu, Eheu &c.* Veteres dicebant. *Ædepol, Hercle, Mehercule, Jupiter, Me Caſtor, Medius Fidius!*

5 *Proh!* deteſtantium eſt. Terentius. *Proh. Deum atque Hominum fidem! Quid eſt ſi non hæc contumelia eſt?*

6 *Heu!* dolentium. Cicero (*d*). *O Domus antiqua! Heu quam diſpari Domino dominaris!* Virgil. *(e)*

Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere &c.

7 *O!* admirationi, inſervit. Cicero (*f*) *O tempora, O mores!* Dolori (*g*). *O miſerum, & infelicem diem illum!* Lætitiæ (*h*). *O ſuaves epiſtolas tuas uno tempore mihi datas duas!* Irriſioni. [*i*] *O præclarum cuſtodem ovium, ut ajunt, Lupum!*

8 Interdum Interjectio omittitur, intelligitur tamen, ut in illo *(k)*

Fortunate ſenex! ergo tua rura manebunt.

Sit in uſu hæc figura ubi res magna poſtulet: *inter*

am.

(*a*) *in Piſon.* (*b*) *pro Cælio.* [*c*] *Æn.* 12. (*d*) *de Offic. lib.* 3. [*e*] *Æn.* 2. [*f*] *in Catil.* 1. (*g*) *pro Sylla.* [*h*] *ad Atticum.* (*i*) *Philipp.* 3. (*k*) *Egl.* 1.

amplificandum, *& in epilogis locum habet*. *Exclamare in re levi frigidum*, *ac puerile*.

III Quid eſt *Deprecatio?*

9 *Eſt figura*, *qua alienam opem imploramus*. Tullius [a] *Quamobrem hic nos primum metu C. Caſar*, *per fidem*, *& conſtantiam*, *& clementiam tuam libera*; *ne reſidere in te ullam partem iracundiæ ſuſpicemur*. *Per dexteram te iſtam oro*, *quam Regi Dejotaro*, *hoſpes hoſpiti porrexiſti*; *iſtam*, *inquam*, *dexteram*, *non tam in bellis*, *& præliis*, *quam in promiſſis*, *& fide firmiorem &c.* Virgilius (b) hanc Amatæ Reginæ ad Turnum Deprecationem mirifice compoſuit.

Turne per has ego te lacrymas, *per ſi quis Amatæ*
Tangit honos animum: *ſpes tu nunc una ſenectæ*,
Tu requies miſeræ, *decus*, *imperiumque Latini*
Te penes, *in te omnis domus inclinata recumbit*.
Unum oro, *deſiſte manum committere Teucris*.

Hęc figura vehemens eſt. Ea utimur in Perorationibus ad commiſerationem potiſſimum commovendam.

IV Quid eſt *Imprecatio?*

10 *Eſt execratio quędam*, *qua malum alicui precamur*. Tullius [c] *Dii te perdant fugitive*, *Diſpereas hominum ſceleſtiſſime &c.* Et in Antonium. *Quin tu abis in malam rem*, *malumque cruciatum*. Dido (d) Æneæ hæc imprecatur.

At bello audacis populi vexetur, *& armis*:
Finibus extorris, *complexu avulſus Iuli*,
Auxilium imploret &c.

Catullus:

At vobis male ſit malę tenebrę
Orci, *quę omnia bella devoratis*.

V Quid eſt *Ominatio?*

11 *Eſt figura*, *qua aliquid quaſi vaticinando prędicimus*. Cicero [e] *Obſtupeſcent Poſteri certe*, *Imperium*, *Provincias*, *Rhenum*, *Oceanum*, *Nilum*, *pugnas innumerabiles*, *incredibiles victorias*, *monumenta*, *munera*, *triumphos audientes*, *& legentes tuos*. *Sed niſi hęc Urbs ſtabilita tuis conſiliis*, *& inſtitutis erit*, *vagabitur modo nomen tuum longe*, *atque late*; *ſedem quidem ſtabilem*, *& domicilium certum non habebit*.

(a) *pro Dejotaro*. (b) *Aen.* 12. (c) *pro Dejot.* (d) *Aen.* 4. [e] *pro Marcel.*

bebit. Erit inter eos etiam, qui naſcentur, ſicut inter nos fuit, magna diſſenſio: quum alii laudibus ad Cælum res tuas geſtas efferent: alii fortaſſe aliquid requirent, idque vel maximum, niſi belli civilis incendium ſalute Patriæ reſtinxeris, ut illud fati fuiſſe videatur, hoc conſilii.

Habet hæc figura in Laudibus *præcipuum locum*. Item in vituperationibus. Incutiendo timori: fovendæ ſpei, invidiæque excitandæ opportuna.

VI Quid eſt *Reticentia*?

12 *Eſt figura, qua præcidimus Orationem, & ſupprimimus, quod dicturi videbamur.* Cicero in Miloniana. *De noſtrum enim omnium . . . . . Non audeo totum dicere.* Et ad Atticum. *O celebritatem incredibilem! Hujus autem noſtri . . . . Sed non poſſum ſine dolore accuſare eum, de quo angor, & crucior.* Virgil. (a)

Jam cęlum, terramque, meo ſine numine venti
Miſcere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego . . . . ſed motos præſtat componere fluctus &c.

Convenit irato, minanti, optanti, verenti, dolenti, religionem, gravitatem, pudorem cuſtodienti.

VII Quid eſt *Proſopopeja*?

13 *Eſt rerum vita, & ratione carentium ficta inductio ad loquendum.* Cicero (b) *Sicilia tota ſi una voce loqueretur, hęc diceret. Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis Urbibus, ſedibus, delubris; quod in unaquaque re beneficio Senatus, Populique Romani, juris habui, id mihi tu, Verres, eripuiſti, atque abſtuliſti.*

Hęc figura pręclara, ac vehemens. Fidem conciliat, & motum excitat animorum. In objurgatione, querimonia, miſeratione, laudatione uſuvenit. *Poetis creberrima eſt; Immo apud Lyricos integrum aliquando Poema ſuſtentat. Funereę Priſcorum Inſcriptiones* proſa, & metro, *hac ſępe figura reguntur. Id ſervandum*, ut quæ dici fingimus, iis conveniant, quorum verba componimus.

VIII Quid eſt *Sermocinatio*, ſeu *Dialogiſmus*?

14 *Eſt figura, qua vel aliquis ſecum ipſe loquitur, vel alii mutuo colloquuntur.* Exemplum primi modi illud, eſt

D Mi.

[a] *Aen. 1.* (b) *Divinat. in Verr.*

Milonianæ perorationis. *Me quidem, Judices, exanimant, & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſſidue, & quibus interſum quotidie. Valeant, inquit, Cives mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati &c.* & Virgilianum illud (*a*)

Quum Juno æternum ſervans ſub pectore vulnus
Hæc ſecum. Me ne incepto deſiſtere victam,
Nec poſſe Italia Teucrorum avertere Regem? &c.

Alterius modi exemplum affert Herennianus Rhetor hujuſmodi. *Venit iſte cum ſago gladio ſuccinctus, tenens jaculum, quinque adoleſcentes hominem ſimili ornatu ſubſequuntur: irrumpit in ædes ſubito, deinde magna voce. Ubi eſt iſte beatus, inquit, ædium Dominus? Quin mihi præſto ſit? Quid tacetis? Hic alii omnes ſtupidi timore obmutuerunt. Uxor illius infeliciſſimè cum maximo fletu, ad iſtius pedes abjecit ſe ſe. Parce, inquit, & per ea: quæ tibi dulciſſima ſunt in vita, miſerere noſtri; noli extinguere extinctos &c.*

Sermocinatio Majorem vim habet priori modo, & magis affectus ciet. Altero modo fidem conciliat, & delectationem eo parit, quod vocem quodammodo colloquentium nobis audire videamur. *Hæc Hiſtoricorum eſt maxime. Utraque Poetarum.*

HU-

(*a*) *Aen.* I.

HUMANIORUM INSTITUTIONUM LIBER SECUNDUS.

De Amplificatione.

I QUid eſt *Amplificatio?*

1 Cicero in Paritionibus Oratoriis ita definit. *Eſt amplificatio, gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem.* Dicitur *gravior affirmatio*, quia Orator dum amplificat aliquid affirmat: Affirmat autem gravius, *gravitate* rerum, quas ad argumentum latius explicandum perſequitur, & verborum, ac ſententiarum, quibus utitur ad exponendum. Dicitur affirmatio, *quæ motu animorum in dicendo conciliat fidem*, eo enim res latius diffunditur, ut Auditorem ſuadeat, & moveat; brevius enim compreſſa, vix animum, & aurem pertingit. Sit exemplo præclara illa quæ apud Tullium extat in Oratione pro Marcello, ad Cæſarem amplificatio. *Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.* Quid quæſo præterea expoſuit Oratorum Princeps niſi ſimplicem, & nudam hujuſmodi ſententiam? *Varias viciſti gentes.* Quanto gravior, quanto ad augendam Cæſaris opinionem, opportunior affirmatio! Hæc ad Tullianam definitionem. Ceterum Iſocrates eam dixit, *Orationem, quæ ex parvis magna facit*; quæ definitio quibuſdam minus probatur; Aliud enim rem exiguam exaggerare, aliud rem amplitudinis capacem magnificentius diffundere. Aliis item; *Oratio, quæ in aliqua re latius explicanda immoratur idoneis locis, & figuris.*

II Quotuplex eſt Amplificatio?

2 Docet Tullius (a) Amplificationem, & Verborum ge-

(a) *in Partit. Orator.*

rere confici, & Rerum. Alia igitur eſt Amplificatio per Verba, alia per res, ſeu locos ad amplificandum. Utraque tamen invicem commiſcetur; ac prima potiſſimum ſecundæ nititur, ſecunda prim s adornatur. De utraque dicturi ſumus; ac de prima quidem breviſſime. In altera immo. abimur.

CAP. I.

De Amplificatione per Verba.

I Quot modis fit amplificatio Verborum?

1 Fit quinque modis. I. Per Translata. II. Per Superlata. III. Per Synonyma. IV. Per gravia, & multum ſignificantia. V. Per Periphraſim, ſeu circuitionem.

2 De Translatis ſuperius multa egimus: nihil propterea hic loci eſt adjungendum, præter exemplum, quo rem illuſtremus. Cicero In Oratore ad Brutum. *Eſt etiam quoddam inſigne, & florens orationis, pictum, & expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores.* Nihil præterea ſignificant hæc verba, niſi *quoddam reperiri ornatum genus dicendi.* Vide per translata quam fuderit pulcherrime ſententiam, Virgilius de Ænea (a) *Irarumque omnes effundit habenas.* De Didone (b) *Magnoque irarum fluctuat æſtu.*

3 *Superlata* hoc loco, & adjectiva nomina, ſignificant, & accedentem ad hyperbolem ſententiam, quibus graviſſima illa affirmatio gignitur, de qua initio dictum eſt. Cicero (c) *Quid tam inuſitatum, quam ut, quum duo Conſules clariſſimi, fortiſſimique eſſent; eques Romanus ad bellum maximum, formidoloſiſſimumque pro Conſule mitteretur?* Et ſuperius. *Quis igitur hoc homine ſcientior unquam, aut fuit, aut eſſe debuit, qui e ludo, atque pueritiæ diſciplina, bello maximo, atque acerrimis hoſtibus, ad Patris exercitum, atque in militiæ diſciplinam profectus eſt: qui extrema pueritiæ*

[a] *Aen.* 12. (b) *Aen.* 4.
[c] *pro Leg. Manil.*

bitia miles fuit ſummi Imperatoris, ineunte Adoleſcentia maximi ipſe exercitus Imperator; qui ſæpius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertavit: plura bella geſſit: quam cæteri legerunt, plures Provincias confecit, quam alii concupierunt &c.

Virgilius de Turni equis (*a*)

Qui candore nives anteirent, curſibus auras.

Et de Polyphemo Cyclope [*b*]

. . . . graditurque per æquor
Jam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit.

4 *Synonyma* ſeu verba idem ſignificantia, augent interdum orationem, & rem vehementius inculcant. Tullius pro Milone. *An ſoli ignoratis vos? Vos hoſpites in hac urbe verſamini? Veſtræ peregrinantur aures, neque in hoc pervagato Civitatis ſermone verſantur?* Et pro Marcello ad Cæſarem. *Illa, illa, inquam, vita eſt tua Cæſar, quæ vigebit memoria ſæculorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper tuebitur &c.* hoc modo amplificare, idem eſt ac *Synonymia uti*, de qua ſuperius inter figuras. Qui modus Poetis eſt familiarior.

5 *Verba gravia*, & multum exprimentia, mirum eſt quanto pondere afficiant ſententiam, ejuſque vim augeant. Cicero pro Milone, Clodii ſcelera recenſens. *Etſi æquabiliter in Rempublicam, in privatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in ſuos irruebat; Id neſcio quo modo jam uſu obduruerat, & percalluerat civitatis incredibili patientia —* Item. *Pro Sextio:* de Pompejo agens; *Qui acerrimos hoſtes, qui maximas nationes, qui reges, qui gentes feras, atque inauditas, qui prædonum infinitam manum, qui ſervitia virtute, victoriaque domuiſſet, qui omnibus bellis terra, marique compreſſis, imperium Pop. R. orbis terrarum terminis definiſſet &c.* Et in Libro de Oratore. *Demoſthenes quanquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi; tamen non ſemper implet aures meas, ita ſunt avidæ, & capaces, & ſemper aliquid immenſum, infinitumque deſiderant.*

Virgilius de Etna monte [*c*]

Interdum ſcopulos, avulſaque viſcera montis

(*a*) *Aen.* 12. [*b*] *Aen.* 3.
(*c*) *Aen.* 3.

Erigit eructans, liqueſactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat: fundoque exeſtuat imo.

Et de Cyclope Polyphemo

. . . . . Domus ſanie, dapibuſque cruentis
Intus opaca, ingens; ipſe arduus, altaque pulſat
Sydera [Dii talem terris avertite peſtem]
Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli.
Viſceribus miſerorum, & ſanguine veſcitur atro.

6 *Periphraſis*, ſeu *circuitio* a nonnullis inter figuras recenſita, ad amplificandum valet, nam quæ uno verbo dici poſſent multis exponit. Adhibetur autem, vel illuſtrandi, vel obumbrandi cauſſa. Cicero [a] de Clodio. *Qui Janiculo, & alpibus ſpem poſſeſſionum terminabat ſuarum*: Significat Clodium, ampliſſimas poſſeſſiones ſperaviſſe. Idem, ne occiſum diceret Clodium, quod gravius erat dicere, periphraſi uſus eſt, dicens: *Fecerunt id ſervi Milonis (dicam enim non derivandi criminis cauſſa, ſed ut factum eſt) neque imperante, neque ſciente, neque præſente Domino, quod ſuos quiſque ſervos in tali re facere voluiſſet.* Et alibi de Clodio occiſo. *Hæſit in iis pœnis, quas ab eo ſervi fideles pro Domini vita expetiverunt.* Sed etiam frequentior apud Poetas reperitur. Virgilius (b) hanc vocem *moritur* ita circumduxit.

Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem.

CAP. II.

De Amplificatione per locos Oratorios generatim.

I Quid ſunt *Loci Oratorii?*

I Sunt *ſedes argumentorum*; nam in iis argumenta latent, & ex iis depromuntur rationes, quæ rem non amplificant modo, ſed comprobant.

II Quot

(a) *Orat. pro Mil.*
(b) *Aen.* 12.

II Quot ſunt *Locorum genera?*

3 Duo. Alii enim dicuntur *Inſiti*, ſeu *Intrinſeci*. Alii *Remoti*, ſeu *Extrinſeci*. *Intrinſeci* ſunt, qui ei inſunt, de quo agitur. *Extrinſeci* ſunt, qui extra aſſumuntur.

III Quot, & quinam ſunt Loci *intrinſeci?*

3 Sexdecim. Definitio, Notatio, Conjugata, Enumeratio partium, Genus, Species, Similitudo, Diſſimilitudo, Oppoſita, Adjuncta, Antecedentia, Conſequentia, Repugnantia, Cauſſæ, Effectus, Comparatio.

IV Quot, & quinam ſunt Loci *extrinſeci?*

4 Sex. Præjudicia, Fama, Tabulæ, Jusjurandum, Tormenta, Teſtes. Nunc de Locis intrinſecis; De extrinſecis infra.

De Amplificatione per Locos intrinſecos, & primum per Definitionem.

I Quid eſt *Definitio?*

1 *Eſt circumſcripta rei explicatio*, ut ait Tullius, vel ut alii malunt: *Oratio explicans quid ſit res definita*.

II Cur utramque adducimus definitionis explicationem?

2 Ut conſtet aliam eſſe Definitionem Dialecticam, aliam vero Definitionem Oratoriam. Dialectica rem definit per Genus, & Differentiam. *Genus* in definitione eſt id, quod res definita cum pluribus commune habet. *Differentia* ea eſt, quæ ita rei definitæ convenit, ut alteri non conveniat. Dialectici, Hominem ita definiunt. *Homo eſt animal rationale*. *Animal* genus eſt, neque enim ſolus homo Animal eſt, ſed hac ratione cum ceteris convenit animantibus. *Rationale* eſt differentia, nullum enim animal præter hominem ratione potitur.

3 At Oratoria definitio, rem deſcribit, & circumſcribit potius, quam definit, neque ſolam explicat rei naturam, ſeu attributa, quæ ejus eſſentiam circumſtant; verum alia circa rem ipſam proponit.

III Quinam ex his definiendi modis eſt ad amplificandum opportunior?

4 Etſi primus Orationem diffundere aliquo modo poſſit, is

is tamen enervis, & languens. Pinguior eſt alter, & abundantior.

IV Quot modis res definiri oratorie poſſunt?

5 Quinque modis. Primo per partes intrinſecas, ut ſi Rhetoricam definiens cum Fabio dixeris. *Rhetorica eſt recte inveniendi, & diſponendi, & eloquendi cum firma memoria, & dignitate actionis ſcientia.*

6 Secundo a Cauſſa, vel effectis rei, quam definimus. Cicero pro Milone, uſus eſt hoc definiendi genere de Lentulo differens hoc modo. *Erat id tempus clariſſimus, & fortiſſimus Conſul P. Lentulus ultor ſceleris illius, propugnator Senatus, defenſor veſtræ voluntatis, Patronus illius publici conſeſſus, reſtitutor ſalutis meæ.* Et Pro Marcello. *Gloria eſt illuſtris, & pervagata multorum, & magnorum, vel in Patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.*

7 Tertio Oratores definiunt per negationem, & affirmationem: primo videlicet id afferentes, quid res non ſit, deinde quid ſit. Cicero in Piſonem. *Tu etiam mentionem facies conſulatus tui? aut te fuiſſe Romę Conſulem audebis? Quid? Tu in Lictoribus, in toga, & prætexta eſſe Conſulatum putas, quę ornamenta etiam in Sexto Clodio, te Conſule, eſſe voluiſti? Hujus tu Clodiani canis inſignibus Conſulatum declarari putas? Animo Conſulem eſſe oportet, conſilio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere conſulatus. Ego Conſulem eſſe putem, qui Senatum eſſe in Repub. non putarit?* Et pro Flacco. *Mementote igitur quum audieritis pſephiſmata, non audire vos teſtimonia, audire temeritatem vulgi, audire vocem leviſſimi cujuſque, audire ſtrepitum imperitorum, audire concionem concitatam leviſſimæ nationis.* Pro Milone. *Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem, ac materiem ſuæ gloriæ &c. Ille erat ut odiſſet primum defenſorem ſalutis meæ, deinde vexatorem furoris, domitorum armorum ſuorum, poſtremo etiam accuſatorem ſuum.* Interdum ſola negatione definimus. Pro Sextio Tullius. *Optimates ſunt qui neque nocentes ſunt, neque natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti.*

8 Quarto: Oratoria definitio paſſim ab adjunctis deducitur, quæ ratio definiendi uſitatiſſima. Talis ea Ciceronis de

Ho-

Homine (a) *Homo eſt Animal providum, memor, ſagax, plenum conſilii, atque rationis, praclara quadam ratione generatum a Deo. Solum enim ex tot animantium generibus, atque naturis, particeps rationis, quum cetera omnia ſint expertia. Quid enim eſt non dicam in homine, ſed in omni Cęlo, atque terra ratione divinius?*

9 Quinto Metaphoræ, ſe comparationes, Oratorias definitiones ſæpiſſime efficiunt. Tullius definivit Curiam [b] *Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, Caput Urbis, Aram Sociorum, Portum omnium gentium, Sedem ab univerſo populo Romano conceſſam uni Ordini &c.* Et Romam (c) dixit *Sedem omnium, Arcem Regum, ac nationum exterarum, Lumen Gentium, Domicilium Imperii.* Et Hiſtoriam (d) hoc modo. *Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoria, magiſtra vita, nuntia veritatis.*

Hic locus ad amplificandum cuivis generi cauſarum opportunus. Convenit *laudationi*, & *vituperationi*. Cicero ſæpe, contemptus cauſſa definitionibus uſus eſt. Ut in Piſonem. *Ego iſtius pecudis, aut putida carnis conſilio ſcilicet, aut praſidio uti volebam? Ab hoc ejecto cadavere quidquam mihi aut opis aut ornamenti exſpectabam?* Vocat Clodium *Funeſtum Animal ex nefariis ſtupris, ex civili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum.*

De modo amplificandi a Notatione, & Conjugatis.

I QUid eſt *Notatio*, ſeu *Etymologia*?

I *Eſt vocabuli, ſive ejus originis explicatio.* Ut ſi dicas a *Senio* Senatorem, a *Conſulendo* Conſulem appellari &c.

II Quem uſum habet *Notatio*?

I Primum hæc Teſte Fabio [e] *habet aliquando uſum neceſſarium, quoties interpretatione res, de qua quaritur, eget.*

M. Cœ-

(a) *Lib. I. de Legib.* [b] *pro Mil.* [c] *in Piſon.*
(d) *Lib. 2. de Orat.* (e) *Lib. I. cap. 6.*

M. Cœlius, ut idem refert, ſe propterea hominem frugi probare voluit non quia abſtinens [nam id ne mentiri quidem potuerat] ſed quia multis utilis, ſeu fructuoſus, unde frugalitas dicta eſſet. Cicero ut Piſonem probet [*a*] Conſulem non fuiſſe, hoc loco utitur dicens. *Et ſine Conſilio eum* Conſulem *numerem, ſine quo Roma ne Reges quidem eſſe potuerunt*.

3 *Notatio* præterea uſuvenit quum aliquem mordere, aut deridere Orator inſtituit. Cicero in Verrem, ipſum ejus nomen detorſit a *Verre* ſordidiſſimo bruto deſumptum dicens. *Mirandum non eſt* Jus Verrinum *tam eſſe nequam*. Et ejuſdem rapacitatem acriter vellicat, ab eodem loco, ejus nomen a verrendo, dictum interpretatus. *Quam tu*, inquit, *demum, quod fanum adiſti, quod non everſum, atque exterſum reliqueris?* Et alibi. *Quod unquam, Judices, hujuſmodi* everriculum *ulla in Provincia fuit?*

Verum hic eſt locus ad amplificandum tenuis, & quo uti non ſine prudenti judicio oportet. Fons eſt, ſæpe *facetiarum*, ſed crebro etiam *ineptiarum*. In hunc impegerunt lapidem ſuperiori ævo tam multi, ut vix queant enumerari. Fuit, ut ceteros ſileam, qui Divum Martinum, *Parvulum Martem* ſe probaturum pollliceretur.

III Quid ſunt *Conjugata*?

4 *Sunt ea, quæ ab uno nomine, aut verbo derivata, varia ratione commutantur*. Sic a *Prudentia* Prudens, a *Sapientia*, Sapiens, ſapienter &c. trahuntur. Cicero [*b*]. *Qui enim poteſt, in quo libido cupiditaſve ſit, non cupidus, non libidinoſus eſſe; in quo ira non iracundus; in quo amor non anxius: in quo timor non timidus?* Et Cæſarem [*c*] egregie hoc utens loco commendavit. *Ceteros quidem omnes* Victores *bellorum civilium, jam ante æquitate, & miſericordia* viceras: *hodierna die te ipſum* viciſti *&c. Nam quum ipſius* victoriæ *conditione* victi *omnes occidiſſemus, clementia tua judicio conſervati ſumus. Recte igitur unus* invictus *es, a quo ipſius etiam victoria conditio, viſque* devicta *eſt*.

IV

(*a*) *Orat. in eundem.*
(*b*) *Quæſt. Tuſcul. 4.*
(*c*) *Pro Marcell.*

IV Quem uſum habent *Conjugata*?

5 Ad argumentandum magis, quam ad amplificandum. Nam profecto ſi quemquam E. G. *ſapientem* affirmaveris; ei ineſſe *ſapientiam* nullo negotio probabis. Sic Tullius: [a] *Si compaſcuus eſt ager, licet compaſcere.*

6 Præterea ad jocos, & acumina interdum valent. Cicero Verrem perſtringit (b) ab hoc fonte. *Quæ iſta quum cognoviſſet novus Aſtrologus, qui non tam* cæli *rationem, quam* cælati *argenti duceret &c.* & Ovidius ſalſe Avaritiam pungens.

Aurea *nunc vere ſunt ſæcula. Plurimus* auro
Venit honos, auro *conciliatur amor.*

Ea monemus in hunc quoque locum, quæ de *Notatione*. Ex Conjugatis *Traductio*, & *Annominatio*, figuræ, de quibus ſupra, oriuntur. Ea cavenda ſunt, quæ ibidem notavimus.

De modo amplificandi ab Enumeratione.

I Quid eſt *Enumeratio*?

1 *Eſt rei, vel totius in ſuas partes diviſio, partitio, aut diſtinctio.*

II Quid eſt *Totum*, & quid eſt *Pars*?

2 *Totum eſt illud, quod ex partibus coaleſcit.* Domus eſt totum quia fundamento, parietibus, tecto, cubiculis conſtat. Vita eſt totum, quia Infantia, Pueritia, Adoleſcentia, Virilitate, Senectute tranſigitur. Exercitus eſt totum, quia Equitatu, Peditatu, Legionibus, Cohortibus, Imperatoribus, Ducibus, Centurionibus &c. componitur.

3 *Pars illud eſt, quod aliis adjectum, aliquid integrat.* Puppis, Prora, Carina &c. partes ſunt navis; Mœnia, Templa, Viæ, Fora &c. partes Urbis, Senatus, Equeſter Ordo, Cives, Populus, partes Civitatis &c.

III Oratores enumerando quid agunt?

4 Recenſent, quæ dividuntur; quæ ſeparantur, quæ diſtinguuntur, ſufficit enim multa eſſe, & multis Orationem opportune ſuccreſcere. Cicero in Catilinam (c). *Quapropter*

[a] *in Topic.* (b) *Act.* 3.
(c) *Orat.* 4.

Digitized by Google

pter de ſumma ſalute veſtra , populique Romani, de veſtris Conjugibus, ac Liberis, de aris, ac focis, de Fanis, ac Templis, de totius Urbis tectis, ac ſedibus, de imperio, de libertate, de ſalute Italiæ, deque univerſa Republica decernite diligenter. Hic multa quæ dividuntur, quæ ſeparantur, quæ diſtinguuntur videtis enumerari.

V Oportetne Oratorem omnia enumerare, quæ in re continentur?

8 Oratores enumerant, vel ad amplificandum, vel ad probandum, vel ad docendum. Amplificando neceſſe non eſt niſi eas partes afferre, quæ ad rem preſentem faciunt. Tullius Cæſarem (a) hortatus ut omnia, quæ belli civilis impetu dilapſa erant, erigeret, enumeratione utens, hæc habet. *Omnia ſunt excitanda tibi, C. Cæſar, uni, quæ jacere ſentis belli ipſius impetu, quod neceſſe fuit, perculſa, atque proſtrata, Conſtituenda judicia, revocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda ſoboles.* Profecto non hæc omnia belli damna, tamen his Cicero quoniam maxima quædam, & præcipua erant, contentus fuit.

9 Probando autem, niſi enumeratio rem totam complectatur, omnis eluditur argumenti vis; Propterea idem Cicero probans Pompejum ſummum Imperatorem hæc habet. (b) *Ego enim exiſtimo in ſummo Imperatore quatuor has res ineſſe oportere: ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.* Proſequitur deinde per ſingula, & quatuor illis præſtare Pompejum docet. Idem de Oratore. (c) *Aut Senatui parendum fuit de ſalute Reipub; aut aliud conſilium inſtituendum, aut ſua ſponte faciendum. Aliud conſilium ſuperbum; ſuum arrogans; utendum igitur fuit conſilio Senatus.* Hæc optima ad probandum argumenta, nam integræ enumerationi nituntur. Illud vero quod [d] a Cicerone pro vitioſæ enumerationis exemplo adducitur. *Quoniam habes iſtum equum, aut emeris oportet, aut hæreditate poſſideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus ſit, aut ſi horum nihil eſt, ſurripueris.* Argumentum fallax, ſi dici poſſit ex hoſtibus equus captus, hic enim habendi modus in enumeratione prætermiſſus.

10 Do-

(a) *pro Marcello.* (b) *pro Leg. Manil.*
(c) *Cap. 2.* [d] *Lib. 1. de Invent.*

10 Docendo item nec plures, quam res contineat partes recenſendæ ſunt, nec pauciores efferendæ: Primum vitium notat Auctor ad Herenium (a) in hac partitione. *Tres res ſunt, quæ homines ſollicitant, metus, cupiditas, agritudo*. Satis fuerat dixiſſe metum, & cupiditatem, quoniam ægritudinem cum utraque re coniunctam eſſe neceſſe eſt. Eadem laboraret nota hujuſmodi enumeratio. *Homo, Anima, Corpore, & media inter utrumque ſubſtantia, conſtat*. Quæ porro media hæc in homine ſubſtantia? Secundi exemplum affert idem Auctor. *Duæ res ſunt, Judices, quæ omnes ad maleficium impellunt, luxuries, & avaritia*. Quid amor? inquiet quiſpiam, quid ambitio? quid metus mortis? quid imperii cupiditas? quid alia permulta?

VI Oportet ne partes, quæ enumerantur, ordine, & ſucceſſione recenſeri?

11 Si ordine aliquo ſeu naturali, ſeu artificiali conſtabit enumeratio, præſtantior erit; ſin minus, congeries fiet. Utriuſque modi habemus exempla apud Tullium, Primi, illud eſt Oratione, quam habuit Poſt Reditum in Senatu. *Nihil vos Civibus, nihil Sociis, nihil Regibus reſpondiſtis: nihil Judices ſententiis, nihil populus ſuffragiis, nihil hic ordo auctoritate declaravit; mutum forum, elinguem curiam, tacitam, & fractam civitatem videbatis*. Exemplum alterius habes Oratione prima in Catilinam. *Fuiſti igitur apud Leccam ea nocte, Catilina; diſtribuiſti partes Italiæ, ſtatuiſti quo quemque proficiſci placeret: deligiſti quos Romæ relinqueres, quos tecum educeres; deſcripſiſti Urbis partes ad incendia; confirmaſti te ipſum eſſe exiturum: dixiſti paullulum tibi eſſe etiam tum moræ, quod ego viverem. Reperti ſunt duo Equites Romani, qui te iſta cura liberarent &c.*

Hic locus omnium ampliſſimus, ceteris fere omnibus famulatur. Dignitatem, copiam, gravitatem, fidem Orationi tribuit: Ad ciendos affectus valet. *Qui dicit captam eſſe Civitatem* inquit Fabius. [b] *complectitur omnia, quæ ta is fortuna recipit; ſed in affectus minus penetrat brevis hic velut nuntius. At ſi aperias hæc, quæ verbo uno incluſa erant, apparebunt, & fuſa per domos, ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor,* & ex

[a] *Lib.* 2. [b] *Lib.* 8. *cap.* 3.

& ex diverſis clamoribus unus quidam ſonus. Aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu ſuorum cohærentes. & infantium, feminarumque ploratus, & male, uſque in eum diem ſervati ſenes. Tum profanorum, ſacrorumque direptio &c. Cavendum in hujus loci uſu, ne enumeratio nimis minuta, aut prolixior, aut æqualior fiat. Variare eam oportet, ornatu figurarum. Deſcriptionum omnium genus in hoc amplificationis loco verſatur.

De modo amplificandi Per Genus, & Speciem.

I Quid eſt *Genus?*

1 *Eſt notio ad plures differentias pertinens.* Virtus E. G. eſt Genus, quia ad prudentiam, temperantiam, juſtitiam pertinet; nam hæ dicuntur virtutes. Allata definitio Tulliana eſt. Paſſim *Genus* dicitur: *quod convenit pluribus ſpecie differentibus.* Hinc *Arbor* genus eſt, convenit enim cedro, abjeti, aliiſque arboribus. Utraque definitio idem ſignificat.

II Quid eſt *Species?*

2 Eſt *notio ad plura Individua ſpectans*, ſeu: *Qua plura continet ſolo numero diſcreta.* Quercus eſt ſpecies, nam hæc notio continet quercus omnes, quæ ſolo inter ſe numero diſtinguuntur.

III Rhetores quid nomine *Generis, & Speciei accipiunt?*

3 Vocant Genus, & ſpeciem quidquid de pluribus affirmari poteſt.

IV Quommodo ab hoc loco amplificant Oratores?

4 *Duobus modis.* Primo deſcendendo a *genere ad ſpecies*, ut ſi probans vitium humano generi pernicioſum; Avaritiæ, Ambitionis, Iracundiæ damna promulges. Secundo *a ſpecie* recurrendo *ad genus*, ut ſi Prudentiam laudaturus, Virtutis generatim pretium amplifices. Hic eſt fons uberior, nam de Genere latius, quam de parte diſceptare licet. Docet Cicero (*a*) Ariſtotelem, adoleſcentes exercere con-

(*a*) *de Oratore.*

re conſueviſſe in hoc genere eloquendi, nam ipſis facilius accidit. Verum Cicero ipſe nobis utriuſque modi exemplum ſuppeditabit.

5 Primum ſit ex Oratione pro M. Marcello, ubi Tullius magnifice commendans Cæſarem, eundem poſt partam Civili bello victoriam, ad clementiam in eos, qui a Pompejo ſteterant, exhortatur. Inquit autem: *Victorias fortunæ magis, quam virtutis fuiſſe; clementiam virtutis fore.* Amplificat autem hanc poſtremam partem a genere ad ſpecies deſcendens. — *Quare*, inquit, *gaude tuo iſto tam excellenti bono, & fruere cum fortuna, & gloria, tum etiam natura, & moribus tuis, ex quo quidem maximus eſt fructus, jucunditaſque ſapienti. Cetera cum tua recordabere, etſi perſæpe virtuti, tamen plerumque facilitati tuę gratulabere.* Hucuſque a genere; hinc ad ſpeciem tranſitus. *De nobis, quos in Repub. tecum ſalvos eſſe voluiſti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientia tua cogitabis: quæ non modo ſumma bona, ſed nimirum audeo vel ſola dicere. Tantus eſt enim ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi, & conſilii dignitas, ut hæc a virtute donata, cetera a fortuna commodata eſſe videantur.*

6 Sed multo etiam luculentius habemus in Oratione pro Archia Poeta, in qua Eum commendaturus, ſtudia humanitatis primum, quæ ſunt *Genus*, Poeſim deinde, quæ eſt *Species*, tandem Poetas quoſdam celeberrimos multis exornat. *An tu exiſtimas, aut ſuppetere nobis poſſe quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, niſi animos noſtros doctrina excolamus, aut ferre animos tantam poſſe contentionem, niſi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor me his ſtudiis eſſe deditum. Ceteros pudeat, ſi qui ita ſe litteris abdiderunt, ut nihil poſſint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in adſpectum, lucemque proferre. Me autem quid pudeat! qui tot annos, ita vivo, Judices, &c.* Studia Litterarum exornat ab utili; ſequitur eadem laudans, quod animos recreent, ſintque omnium temporum, & locorum. *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium, ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, per-*

no-

noctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur &c. Hucuſque a *Genere*. En tranſitum ad ſpeciem. *Atqui ſic a ſummis hominibus, eruditiſſimiſque accepimus, ceterarum rerum ſtudia, & doctrina, & præceptis, & arte conſtare; Poetam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari; & quaſi divino quodam ſpiritu afflari; Quare ſuo jure noſter ille Ennius, ſanctos appellat Poetas, quod quaſi Deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis eſſe videantur. Sit igitur, Judices, ſanctum apud vos, humaniſſimos homines hoc Poetæ nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa, & ſolitudines voce reſpondent; beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt; nos inſtituti rebus optimis non Poetarum voce moveamur? Homerum &c.* Sequitur Homeri, aliorumque Poetarum magno in pretio, ab Urbibus, aut Viris Principibus habitorum laus. Item *pro Sexto Roſcio*, parricidii accuſato. Tullius ut eum defendat ad *Genus* recurrit, parricidii ſcelus amplificans, tam immane, tam atrox, ut de Roſcio, nulla credi ratione poſſit.

In promptu eſt, *ubicunque res ferat* hic locus. *In exordiis* tamen præcipuum uſum habere videtur, nam ſæpe ab univerſali quodam principio, ad rem deſcendimus, de qua ſumus acturi. *In commendationibus* uſuvenit, in quibus a Patria interdum, a generis nobilitate, a familia amplificamus. Ab eodem *vituperamus item*. Eum Lyrici Poetæ crebrius uſurpant, & inde digreſſiones petunt. Pindarus, Horatius, aliique exemplo eſſe poſſunt.

De modo amplificandi per Similitudinem, & Diſſimilitudinem.

1 QUid eſt *Similitudo?*

2 *Eſt rerum ceteroqui diverſarum, in aliqua re convenientia.* Tempus, & Flumen duo ſunt multum diſſita, in eo tamen conveniunt, quod utrumque diffluat. Hinc Ovidius *(a)*

Ipſa

(a) Lib. 15. Metamorph.

Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora curſu
Non ſecus ac flumen ; neque enim conſiſtere flumen
Nec levis hora poteſt

II Quot modis fit Oratoria *Similitudo?*

1 *Duobus modis*; nam alia fit ſimilitudo, quæ *perfecta* dicitur : alia, quę dicitur *imperfecta*.

3 Perfecta duabus partibus conſtat, quarum prima dicitur Propoſitio, ſeu *Protaſis*, ſecunda Redditio ſeu *Apodoſis*. Prima continet rem, cui ſimilitudo ineſt, & eas præferre ſolet particulas *Ut*, *Quemadmodum*, *Sicut*, *Veluti &c.* Secunda notat rem, quæ cum priori convenit, & his notatur particulis *Ita*, *ſimiliter*, *non ſecus*, *non aliter &c.* Cicero (a) *Ut quidam morbo aliquo, & ſenſus ſtupore, ſuavitatem cibi non ſentiunt: ſic libidinoſi, avari, facinoroſi vera laudis guſtum non habent*. &, poſt Reddit. ad Quirit. *Sed tanquam bona valetudo jucundior eſt iis, qui e gravi morbo recreati ſunt ; ſic Patria, ceteraque fortuna bona deſiderata magis, quam quotidie percepta delectant*. Virgilius [b]

Ac veluti annoſam valido cum robore quercum
Alpini Boreę nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant : it ſtridor, & alte
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes ;
Ipſa hæret ſcopulis, & quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit.
Haud ſecus aſſiduis hinc, atque hinc vocibus heros
Tunditur, & magno præſentit pectore curas,
Mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes.

4 Imperfecta ſimilitudo eſt, quæ aut geminas partes explicitas non habet, aut quæ Protaſim tantum explicat, & Apodoſim reticet, quoniam ex iis, quæ jam dicta ſunt, intelligitur. Exemplum prioris modi ex Cornificio ſit. *Ibant in prælium, corpore, Tauri validiſſimi: Impetu, Leonis acerrimi ſimiles*. Tullius [c] *Et tu in hoc vulnere tanquam unguis exiſteres*. Virgilius (d)

Reſtitit Æneas ; claraque in luce refulſit
Os, humeroſque Deo ſimilis.

E Hæc

(a) *Philipp.* 2. (c) *Aen.* 4. (c) *pro Domo ſua.*
[d] *Aen.* 1.

Hæc ſimilitudinis forma *Icon* dicitur a Voſſio.

5 Similitudo imperfecta ſecundo modo eſt Poetis magis, quam Oratoribus familiaris: nam illi rem aliquam deſcribunt, dein ſimilitudinem apponunt, immo & exornant ſine ulla ejuſdem Redditione. Talis ea apud Maronem (a) ubi nocturnas cædes, Niſi manu peractas deſcripſit, dein ſubdidit.

Impaſtus, ceu plena Leo per ovilia turbans,
Suadet enim veſana fames, manditque, trahitque
Molle pecus, mutumque metu, fremit ore cruento.

Talis Æneidos primo ad exprimendos Pœnorum in ædificio urbis labores.

Qualis apes aſtate nova per florea rura
Exercet ſub ſole labor, quum gentis adultos
Educunt fetus, aut quum liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas: &c.

III Oportetne in ſimilitudine perfecta ſemper Protaſim præcedere, Apodoſim vero ſubſequi, & inter has partes menſuræ, ſeu longitudinis proportionem aliquam ſervari?

6 Neceſſe non eſt. Ille quidem ordo plerumque ſervatur, aliquando tamen invertitur. Ita Virgilius (b) de Cyclopibus:

Cernimus adſtantes nequicquam lumine torvo
Ætnæos fratres, cælo capita alta ferentes:
Concilium horrendum: quales cum vertice celſo
Aeriæ quercus, aut conifera cypariſſi
Conſtiterant, ſylva alta Jovis, lucuſve Dianæ.

Et Catullus *ad Hortalum*, cui ſe Callimachi carmen de Coma Berenicis latine redditurum ſpoponderat.

Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
Effluxiſſe meo forte putes animo,
Ut miſſum ſponſi furtivo munere malum
Procurrit caſto virginis e gremio,
Quod miſera oblita molli ſub veſte locatum,
Dum adventu matris proſilit, excutitur.
Atque illud prono præceps agitur decurſu:
Huic manat triſti conſcius ore rubor.

Ho-

(a) *Aen.* 9. [b] *Aen.* 3.

Horatius [a] ad Mæcenatem.

Comes minore ſum futurus in metu,
Qui major abſentes habet.
Ut aſſidens implumibus pullis avis
Serpentium allapſus timet,
Magis relictis: non ut adſit, auxili
Latura plus præſentibus.

Hoc manifeſte oſtendit inter ſimilitudinis partes nullam amplitudinis menſuram conſtitui.

IV Licet ne ad amplificandum *plures congerere ſimilitudines?*

7 *Licet*, dum nimiæ non ſint, nec prolixiores. Cicero (b) duas pulcherrimas ſimilitudines adfert, quibus comprobet non eſſe Philoſophiæ vitio vertendum, quod non omnium animos ad virtutem componat. *Nam*, inquit, *ut agri non omnes frugiferi ſunt qui coluntur, fælſumque illud & improbum*. Etſi in ſegetem ſunt deteriorem datæ — Fruges, tamen ipſæ ſuapte natura enitent: *Sic animi non omnes cultui fructum ferunt. Atque ut in eodem ſimili verſer: ut ager quamvis fertilis ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt: ſic ſine doctrina animus. Ita eſt utraque res ſine altera debilis. Cultura autem animi Philoſophia eſt: quæ extrahit vitia radicitus, & præparat animos ad ſatus accipiendos*. Et Virgilius (c) ita Æneam loquentem facit.

Excutior ſomno, & ſummi faſtigia tecti
Aſcenſu ſupero, atque arrectis auribus adſto.
In ſegetem veluti quum flamma furentibus auſtris
Incidit: aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta, boumque labores,
Præcipiteſque trahit ſilvas: ſtupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice Paſtor.

Catullus item *Ad Manlium* in morte fratris mirifice.

Qualis in aerei pellucens vertice montis
Rivus, muſcoſo proſilit e lapide:
Qui quum de prona præceps eſt valle volutus
Per medium denſi tranſit iter populi,
Dulce Viatori laſſo in ſudore levamen
Quum gravis exuſtos æſtus hiulcat agros.

[a] *Epod.* 1. (b) *Quæſt. Tuſcul.* 2. (c) *Aen.* 2.

Ac velut in nigro jactatis turbine nautis
Lenius aſpirans aura ſecunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Caſtoris implorata:
Tale fuit nobis Manlius auxilium.

V Undenam ſimilitudines *deduci poſſunt*?

8 Ab iis omnibus, quæ aliquo inter ſe modo conveniunt. Videndum autem quum ſimilitudinem quæris, quænam res ſimilis ſit naturæ cum ea, quam amplificare vis, illam vero, cum hac conferes. Sermo ſit de *conſtantia*. Vide quid firmum ſit maxime, ac ſolidum. An non *Rupes*? *Murus*? *Silex*? *Scopulus*? De ira loquaris. Vide quid fervens, quid efrenatum, quid rabidum? An non *Ignis*? *Leo*? *Lupus*? De turbato diſſeras, ac dubitante. Vide quid mobile, quid agitatum, quid pendens. An non *Unda*? *Frons*, *Aer*? Virgilius de Latini conſtantia (*a*)

Ille velut Pelagi Rupes immota reſiſtit.

De Latinorum furore *ibidem*

...... magno veluti cum flamma ſonare
Virgea ſuggeritur coſtis undantis abeni &c.

De Ænea curis agitato (*b*)

Sicut aqua tremulum labris ubi lumen abenis
Sole repercuſſum &c.

Nihil eſt unde ſimilitudo trahi nequeat, dummodo non obſcurior, aut prorſus ignota ſit res, quam in orationem congruentiæ cauſſa inducimus. *Debet enim*, inquit Fabius, *quod illuſtranda alterius rei gratia aſſumitur, ipſum eſſe clarius eo, quod illuminat*. Poetis tamen majorem aliquam libertatem ſinit, ut in illa Virgilii ſimilitudine [*c*]

Qualis ubi hybernam Lyciam, Xantique fluenta &c.

Subdit vero: *Non idem decebit Oratorem*.

VI Quid eſt *Diſſimilitudo*?

9 *Diſſimilitudo* ſeu *differentia*, eſt *Rerum inter ſe collatarum diverſa affectio*. Similitudini opponitur, quod illa inter res invicem collatas convenientiam, hæc diſcrimen animadvertit.

VII Quotuplex eſt *Diſſimilitudo*?

10 Alia, ex Voſſio, dicitur *perfecta*, alia *imperfecta*. Per-

[*a*] *Aen*. 7. (*b*) *Aen*. 8. (*c*) *Aen*. 4.

Perfecta eſt, quæ diverſitatem, & rationem diverſitatis notat. Cicero (a) *Atqui in Officio perſolvendo diſſimilis eſt ratio, & pecunia debita, propterea quod, pecuniam qui retinet non diſſolvit, qui reddit non habet gratiam, & qui retulit habet, & qui habet diſſolvit, quapropter memoriam beneficii colam benevolentia ſempiterna &c.* & pro Murena. *Quis poteſt dubitare quin ad conſulatum adipiſcendum multo plus afferat dignitatis, rei militaris, quam juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte ut tuis Conſultoribus reſpondeas: ille ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat. Tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit. Tu caves, ne tui Conſultores; ille, ne Urbes, aut caſtra capiantur. Ille tenet, & ſcit, ut hoſtium copia; tu ut aqua pluvia arceantur. Ille exercitus eſt in propagandis finibus, tu in regendis.*

11 Diſſimilitudo *imperfecta* ex allato Auctore eſt, quæ rationem, cur invicem collata diſſimilia ſint, reticet; ut apud Cornificium. *In amicitia gerenda ſicut in certamine currendi, non ita convenit exerceri, ut quoad neceſſe ſit, pervenire poſſis; ſed ut productius ſtudio, & viribus ultra procurras.* Tibullus (b)

Sed Proles Semeles, Bacchus, doctaque Sorores
Dicere non norunt, quid ferat hora ſequens;
At mihi fatorum leges, avique futuri
Eventura pater poſſe videre dedit.

VIII Quomodo tractatur, aut exponitur *Diſſimilitudo?*

12 Vel in plura membra dividitur, & ſingula ſingulis conferuntur; vel illius partes ſingillatim dilatantur, & primæ, ſecunda ſubnectitur.

Hic locus convenit cuilibet Orationis generi, ac multum exornat. Utitur plerumque deſcriptionibus, interdum expolitionibus. Cavendum Oratori *ne fuſiores ſimilitudines frequentius uſurpet*; breviores miſcendæ. Sint graves, ac ſolidæ, potiſſimum in cauſſis præſtantioribus. Poetis cum multo copioſiores, tum paullo elegantiores, & concinniores dantur. Decorum ſervent, neque Villico Imperator, neque Elephas formicæ, neque Urbi magalia conferantur.

(a) *Poſt Reditum ad Quirites.* (b) *Lib. 3. el. 4.*

De modo amplificandi ab Oppoſitis,

I Quid ſunt *Oppoſita?*

1 *Sunt illa quæ inter ſe pugnant.*

II Quot ſunt genera *Oppoſitorum?*

2 Quatuor: videlicet, Adverſa, ſeu Contraria. Privantia. Relativa. Contradicentia.

3 Contraria ſunt, *quæ maxime inter ſe diſcrepant, & ſe mutuo expellunt*; ut *Calor*, & *Frigus*; *Bellum*, & *Pax*; *Liberalitas*, & *Avaritia*; *Virtus*, & *Vitium*; *Magnus*, & *Parvulus*; *Albus*, & *Niger &c.* Cicero (a) *Quum pateat ſatis magnam vim eſſe in vitiis ad miſeram vitam: nonne fatendum eſt eandem vim in virtute eſſe ad vitam beatam? Et quis non frugalitatem bonum appellabit, quum luxuria tam pernicioſa exiſtat?* Et Oratione *Pro Roſcio Comœdo*, inquit. *Et illa fuit pecunia immanis; hæc parvula: illa honeſta, hæc ſordida: illa jucunda, hæc acerba: illa propria, hæc in cauſſa, & judicio collocata.*

4 *Privantia* ſunt *ea quorum alterum eſt habitus, ſeu res habita; alterum ejuſdem rei privatio*; ut *Vita*, & *Mors*; *Lux*, & *Tenebræ*: *Sanitas*, & *Morbus*: *Loquens*, & *Mutus*; *Audiens*, & *Surdus*: *Dives*, & *Pauper*. Cicero Pro Marcello. *Doleo quum Reſpublica immortalis eſſe debeat, eam in unius mortalis animâ conſiſtere.* Et in Catilinam (b) *Copia cum egeſtate, bona ratio cum perdita, & mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum omnium rerum diſperatione confligit.*

5 *Relata* ſunt, *quorum unum ad aliud refertur.* ut *Dominus*, & *Servus*: *Pater*, & *Filius*: *Magiſter*, & *Diſcipulus*: *Dans*, & *Accipiens*: *Amans*, & *Amatus*. Cicero Pro Murena. *Ex quo profecto intelligis, quanta in dando beneficio ſit laus, quum in accipiendo tanta ſit gloria.* Et pro Marcello vix paullo mutatis verbis. *Intelligis quanta in dato beneficio ſit laus, quum in accepto tanta ſit gloria.* In Oratore ad Brutum. *Cur autem diſcere turpe eſt, quod ſcire honeſtum eſt? aut quod noſcere pulcherrimum eſt, id non glorioſum docere?*

6 Con-

(a) *Tuſcul.* 2. [b] *Orat.* 2.

6 *Contradicentia*, quæ etiam *Negantia* dicuntur; ſunt; *quorum unum id affirmat, quod alterum negat.* ut *Amicitia, Inimicitia*: *Juſtus*, *Injuſtus*: *Verecundus*, *Inverecundus*: *Pudicus*, *Impudicus*. *Milo inſidiatus eſt Clodio*, *Milo non eſt inſidiatus Clodio*. Exemplum habet Rhetor ad Herennium (a). *Nam qui ſuis rationibus inimicus fuerit ſemper, eum quomodo alienis rebus amicum fore ſperabas?* Item. *Nam quem in amicitia perfidioſum eſſe cognoveris, eum quare putes inimicitias cum fraude habere poſſe?*

III Qua ratione Oratores utuntur hoc fonte ad amplificandum?

7 Congerunt plerumque contrariorum genera, & commiſcent; in iis autem opponendis invicem, non Dialectice agunt, ſed paullo liberius Orationem diffundunt. Sic Cicero in Verrem (b) quædam congeſſit diſparata potius, quam oppoſita. *Conferte*, inquit, *hanc pacem cum illo bello*; *hujus Prætoris adventum, cum illius Imperatoris victoria*; *hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto*: *hujus libidines, cum illius continentia*: *Ab illo qui cepit conditas, ab hoc qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas.* Bellum quidem paci oppoſitum. Adventus autem, & victoria; Cohors, & Exercitus. Conditus, & captus, lato ſatis modo opponuntur. Simili ratione Dido apud Virgilium (c)

Nec tibi Diva Parens, generis nec Dardanus Auctor,
Perfide; ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, hyrcanæque admorunt ubera tigres.

De modo amplificandi ab Adjunctis.

I Quid ſunt Adjuncta?

1 *Sunt, quæ rebus ita juncta ſunt, ut illis neceſſario non hæreant.* E.G. Julius Cæſar, *Miles*, *Imperator*. *Dictator a M. Bruto in Curia, pugione* confoſſus fuit. Cæſar profecto, nec Imperator, aut Dictator neceſſario extitit: nec a Bruto neceſſario cecidit, immo neque ut moreretur, aut pugione Brutum uti, aut eum in Curia eſſe opus fuit.

(a) *Lib.* 5. [b] *Act.* 6. (c) *Aen.* 4.

II In quot capita dividi ſolent adjuncta?

1 In ſeptem quæ hoc verſiculo clauduntur.

Quis, Quid, Ubi Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

3 *Quis*. Significat adjuncta Perſonæ. *Corporis* videlicet, Animi, aut Fortunæ &c. Ut ſunt robur, imbecillitas, pulchritudo, deformitas, ægritudo, ſanitas, ornatus, neglectus. Artes, Mores, Doctrina, Patria, Nobilitas, Copia &c. Cicero (a) de Fannio Cheræa: *Nonne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa, olere malitiam, & clamitare calliditatam videntur? nonne ab imis unguibus ad verticem ſummum [ſi quam conjecturam affert hominis taciti figura] ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur; qui iccirco capite, & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne ullum pilum boni Viri habere dicatur.* Virgilius [b]

.... Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Æneadum, Trojana nec induit arma,
Ora puer prima ſignans intonſa juventa.

4 *Quid*. Significat adjuncta Rei, aut Facti, ut ſunt ſacrum, profanum, elegans, turpe, pretioſum, vulgare &c. difficile, facile, ſolitum, inſolitum, mirabile, honeſtum, magnum &c. Cicero de bello pyratico agens (c) *Agitur Populi Romani gloria, quæ vobis a majoribus quum magna in rebus omnibus, tum ſumma in re militari tradita eſt. Agitur ſalus ſociorum, atque amicorum, pro qua multa majores veſtri magna, & gravia bella geſſerunt. Aguntur certiſſima populi Romani veſtigalia, & maxima, quibus amiſſis, & pacis ornamenta, & ſubſidia belli requiretis. Aguntur bona multorum civium, quibus eſt & a vobis, & a moderatoribus Repub. conſulendum.* Virgilius [d] Drancem de bello ad Regem hæc differentem inducit.

Rem nulli obſcuram, noſtra nec vocis egentem
Conſulis, o bone Rex. Cuncti ſe ſcire fatentur,
Quid fortuna ferat populi, ſed dicere muſſant &c.

5 *Ubi*. Significat locorum differentias. Loci autem aut naturales ſunt, ut terreſtres, maritimi, plani, montoſi, campeſtres, urbani &c. Aut ſunt fortuiti, ut culti, inculti, celebres, deſerti, ſacri, profani &c. Cicero ab adjun-

(a) Pro Roſc. Comœdo. [b] Aen. 9.
(c) Pro Leg. Manil. [d] Aen. 11.

junctò loci probat Clodium inſidiatum Miloni. *Videamus nunc id, quod caput eſt, locus ad inſidias ille ipſe, ubi congreſſi ſunt, utri tandem fuerit aptior &c.* Ab eodem vero, quoniam Clodius occiſus fuit, magnificè amplificat, & juſtiſſimam ejus necem comprobat. *(a) Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos inquam, imploro, atque obteſtor, Voſque Albanorum obruta ara ſacrorum, Pop. Rom. Socia, & aquales, quas ille praceps amentia, cęſis, proſtratiſque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat, veſtra tum ara, veſtra religiones viguerunt; veſtra vis valuit, quam ille omni ſcelere polluerat: Tuque ex tuo edito monte, Latialis Sancte Juppiter, cujus ille lucos, nemora, fineſque ſape omni ſtupro, ac ſcelere maculaverat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuiſti; vobis illa, vobis veſtro in conſpectu, ſerę, ſed juſtę tamen, & debita pœna ſolutę ſunt: niſi forte hoc etiam caſu factum eſſe dicimus, ut ante ipſum ſacrarium bonę Deę, quod eſt in fundo T. Sextii Galli, in primis honeſti, & ornati Adoleſcentis, ante ipſam inquam Bonam Deam, quum pręlium commiſiſſet, primum illud vulnus acceperit, quo teterrimam mortem obiret &c.* Virgilius (*b*) a loco miſeram Priami mortem deſcribit.

. . . . Hac dicens, altaria ad ipſa trementem
Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati,
Implicuitque comam lava, dextraque coruſcum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem.

Pallas apud eundem (*c*) Socios *a loco* incendit ad pugnam.

Ecce maris magno claudit nos obice pontus,
Deeſt jam terra fuga: pelago Trojamne petemus?

6 *Quibus auxiliis*. Significat media ad opus. Inſtrumenta, Arma, Pecunias, Socios, Miniſtros &c. Tullius [*d*] oſtendit *ab auxiliis*, extenuari aliquando gloriam bellicæ virtutis, parcendi vero gloriam ipſius Cæſaris totam, & ſolam eſſe. *Bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, eaſque detrahere Ducibus, communicare cum militibus, ne propria ſint Imperatorum; & certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus* mul-

(*a*) Pro Milone. (*b*) Aen. 2. [*c*] Aen. 10.
(*d*) Pro Marcello.

multum juvant, maximam vero partem quaſi ſuo jure fortuna ſibi vindicat, & quidquid eſt proſpere geſtum, id pæne omne ducit ſuum. At vero bujus gloriæ C. Caſar, quam es paullo ante adeptus ſocium habes neminem: Totum hoc quantumcunque eſt, quod certe maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. Nihil ſibi ex iſta laude Centurio, nihil Præfectus, nihil Cohors, nihil turma decerpit &c. Hecuba diſſuadet Priamum apud Virgilium (*a*)

Ipſum autem ſumptis Priamum juvenilibus armis
Ut vidit: Quæ mens tam dira, miſerrime Conjux,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget; non ſi ipſe meus nunc afforet Hector.

Ab eodem loco pacem diſſuadet Turnus (*b*)

Si nullam noſtris ultra ſpem ponis in armis,
Si tam deſerti ſumus, & ſemel agmine verſo
Funditus occidimus, neque habet fortuna regreſſum;
Oremus pacem &c. & paullo poſt:
Sin & opes nobis, & adhuc intacta juventus,
Auxilioque Urbes Italæ, populique ſuperſunt:
Sin & Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine, ſunt illis ſua funera, parque per omnes
Tempeſtas, cur indecores in limine primo
Diffidimus? cur ante tubam tremor occupat artus?

¶ *Cur* ſignificat finem rei: Privatum, aut publicum, bonum, utilem, honeſtum, turpem. Cicero probat Clodium ſtruxiſſe inſidias Miloni ab hoc loco. *Divertit in villam Pompeii. Pompejum ut videret? Sciebat in Alſienſi eſſe procul inde, Villam ut perſpiceret? Millies in ea fuerat. Quid ergo erat moræ & tergiverſationis? Dum hic veniret, locum relinquere noluit.* Mercurius apud Virgilium acriter Æneam increpat (*c*)

Quid ſtruis? aut qua ſpe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum
Nec ſuper ipſe tua moliris laude laborem:
Aſcanium ſurgentem, & ſpes heredis Juli
Reſpice.

8 *Quo-*

(*a*) *Aen.* 2. [*b*] *Aen.* 11.
(*c*) *Aen.* 4.

8 *Quomodo*. Significat modum, quo res fit, fiet, aut facta eſt: facile, difficile, ſponte, violenter; tumultuarie, ordinate, turpiter, decore, ſimpliciter, ornate, celeriter, tarde &c. Cicero (*a*) *At vero quum aliquid clementer, manſuete, juſte, moderate, ſapienter factum, in iracundia præſertim, quæ eſt inimica conſilio, & in victoria, quæ natura inſolens, & ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus, quo ſtudio incendimur non modo in geſtis rebus, ſed etiam in fictis?* Virgilius ab hoc fonte mirifice deſcribit innumeris in locis. (*b*) Laocoon ſerpentibus implicitus præſtat maxime.

Poſt ipſum auxilio ſubeuntem, ac tela ferentem
Corripiunt, ſpiriſque ligant ingentibus, & jam
Bis medium amplexi: bis collo ſquammea circum
Terga dati: ſuperant capite, & cervicibus altis.
Ille ſimul manibus tendit divellere nodos
Perfuſus ſanie vittas, atroque veneno,
Clamores ſimul horrendos ad Sidera tollit.

9 *Quando*. Significat Tempus, præſens, præteritum, futurum, vetus, inſtans, hibernum, vernum, æſtivum, pluvium, ſerenum &c. Item Senectutem, Virilitatem, Adoleſcentiam &c. Annum, Menſem, diem &c. Cicero. De Pompejo [*c*] *Qui e ludo, atque pueritiæ diſciplina, bello maximo, atque acerrimis hoſtibus ad Patris exercitum, atque ad militiæ diſciplinam profectus eſt, qui extrema pueritia miles fuit ſummi Imperatoris, ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus Imperator.* Et celeritatem belli a Pompejo geſti ab eodem oſtendit. *Ita tantum bellum, tam diuturnum &c. Cn. Pompejus, extrema hieme apparavit, ineunte verè ſuſcepit, media æſtate confecit.* Dido profectionem Æneæ diſſuadet a tempore. [*d*]

Quin etiam hiberno moliris ſidere claſſem,
Et mediis properas aquilonibus ire per altum.

Ab hoc loco tanta rerum copia difluit, ut nullus hoc abundantior eſſe videatur. Hinc *deſcriptiones* cujuslibet generis, hinc *argumenta* in omni dicendi ratione deducuntur. *Adjuncta* ad motus animi provocandos mirifice

rifice

[*a*] *Pro Marcello.* (*b*) *Aen.* 2.
(*c*) *Pro Leg. Man.* (*d*) *Aen.* 4.

rifice valent. Oratoribus, Poetis, Hiſtoricis opportuna. Invicem commiſcentur, & congeruntur. Cicero in Peroratione Miloniana: *Quid reſpondebo &c. Me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſervaſſet? At qua in cauſſa non potuiſſe? Quæ eſt grata gentibus. A quibus non potuiſſe? ab iis, qui maxime P. Clodii morte acquieverunt. Quo deprecante? Me.*

De modo amplificandi ab Antecedentibus, Conſequentibus, & Repugnantibus.

I Quid ſunt *Antecedentia*?

1 *Sunt ea, quibus poſitis aliud conſequitur.* Ut *Sol oriens* antecedens eſt *diei*; valet enim argumentari. *Sol ortus eſt, ergo dies eſt. Bonitas* antecedit *Amorem*; nam rite infertur. *Bonum*, ergo *Amabile*. *Ver eſt*, ergo erit *æſtas*.

2 *Ab Antecedentibus*, alia *natura*, alia *ordine*, alia *hypotheſi* conſequuntur. Ab igne *natura* conſequitur calor. A Juventute *ordine* conſequitur Virilitas. Ab homine, ſi Rhetor ſit, *hypotheſi* conſequitur eloquentia.

3 Hæc omnia Antecedentium genera ad amplificandum in uſu ſunt. Cicero ab Antecedentibus [a] oſtendit Antonium judicatum hoſtem a Senatu. *Quid porro inconſtantius, quam quem modo hoſtem non verbo, ſed re multis decretis judicaviſtis, cum hoc ſubito velle pace conjungi? niſi vero quum C. Cæſari meritos illi quidem honores, & debitos, ſed tamen ſingulares, & immortales decreviſtis unam ob cauſſam, quod contra M. Antonium exercitum comparaviſſet, non hoſtem Antonium judicaviſtis, nec tum hoſtis eſt a vobis judicatus, quum laudati auctoritate veſtra veterani milites, qui Cæſarem ſecuti eſſent, nec tum hoſtem Antonium judicaviſtis? &c.* Virgilius pro æſtate Antecedentia adhibuit. (b)

. . . . Ubi pulſam hiemem ſol aureus egit,
Sub terras, cælumque æſtiva luce recluſit.

Ho-

(a) *Philipp.* 7. (b) *Georg.* 4.

Horatius Ver ab iiſdem deſcribit *(a)*

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis
Arboribuſque comę &c.

II Quid ſunt *Conſequentia*?

4 *Sunt illa, quæ ad aliquid conſequuntur*: ut pœna, culpam; victoria, pugnam; mors, vitam. Ab his eodem modo argumentari licet. *Vicit*: ergo *pugnavit*; *Mortuus*: ergo *Vivus extitit &c.* Tullius per ea mala, quæ Clodii mortem conſecuta erant, argumentatur. quid eo vivente detrimenti futurum eſſet. [b] *An ille Prætor, ille vero Conſul, ſi modo hæc templa, atque ipſa mœnia ſtare eo vivo tandiu, & conſulatum ejus expectare potuiſſent, ille denique vivus mali nihil feciſset, qui mortuus, uno ex ſuis ſatellitibus Sex. Clodio Duce, curiam incenderit?* & inferius, *Ecquando ab eo ſpirante forum potuiſset defendi, cujus non reſtitit cadaveri curia? Excitate eum, ſi poteſtis, ab inferis. Frangetis impetum vivi, cujus vix ſuſtinetis furias inſepulti?* Ovidius *(c)* a Conſequentibus Diluvium deſcribit.

Occupat hic collem, cymba ſedet alter adunca,
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat,
Et modo qua graciles gramen carpſere capellæ
Nunc ibi deformes ponunt ſua corpora phocæ.

Horatius [d]

Poſt ignem æthereæ domo
Sublatum, macies, & nova febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda neceſſitas
Lęti corripuit gradum.

III Quid ſunt *Repugnantia?*

5 *Sunt ea, quorum unum quum ſit, aliud infertur eſse non poſse*. Hinc dicuntur a Boetio: *Contrariorum conſequentia*. Differunt autem ab oppoſitis, quia nulla certa lege inter ſe diſſident, ſed quomodocunque concertant: propterea ut nonnulli ad hunc locum referant quæcunque diſparata, & diverſa ſunt. E. G. *Lapis eſt; ergo arbor eſſe non poteſt*. Profecto *lapis*, & *arbor* diſparata ſunt, non oppo-

[a] *Lib. 1. od. 4.* [b] *Pro Milon.*
(c) *Metam. 1.* (d) *Lib. 1. od. 3.*

oppoſita. Egregie D. PAULLUS Gentium Doctor. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſsem.* Cicero in Miloniana Oratione. *Ejus igitur mortis ſedetis ultores, cujus vitam ſi putetis per vos reſtitui poſse nolitis?* Et Pro Sexto Roſcio. *Illud quæro; is homo, qui (ut tu te dicis) nunquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, abſens præſertim conficere potuit?* & P. Syllam purgat a ſuſpicione conjurationis ab hoc loco. *Aſpicite ipſum: contuemini os; conferte crimen cum vita uſque ad hoc tempus explicata: tum crimen recognoſcite. Mitto Rempub; quę fuit ſemper Sylla cariſſima: hos ne amicos tales viros, tam cupidos ſui, per quos res ejus ſecundæ quondam erant ornatæ, nunc ſublevantur adverſæ, crudeliſſime perire voluit; ut cum Lentulo, & Catilina, & Cethago fœdiſſimam vitam, ac miſerrimam, turpiſſima morte propoſita degeret?*

Antecedentia, & Conſequentia *ad argumentandum* valent; Item *ad deſcribendum*. Repugnantia *ad argumentandum* præcipue adhibentur.

De modo amplificandi a Cauſſa, & Effectis.

I Quid eſt *Cauſsa?*

1 *Eſt id, vi cujus aliquid eſt.* Deus eſt rerum omnium cauſſa, quia Dei virtute ſunt omnia. Sol eſt cauſſa Diei. Lucrum cauſſa Mercaturæ &c.

II Quotuplex eſt *cauſsa?*

2 Dividi ſolet cauſſa in quatuor claſſes, quæ ſunt. *Efficiens, Finis, Materia, & Forma.*

3 *Efficiens eſt cauſsa, a qua aliquid fit.* Tellus herbarum cauſſa; Arbor cauſſa fructus. Pictor cauſſa picturæ &c.

4 Huic cauſſę famulantur *Inſtrumenta*, quæ aliquam habent vim in effectum, non propria quidem, ſed efficientis virtute. Sic malleus Fabro, Penicillus Pictori famulatur. Cicero ab efficiente. In Verrem agit. (a) *Multa in Deos, & in*

(a) *Act. 2.*

Digitized by Google

& in homines impie, nefarieque commiſit, quorum ſcelerum pœnis agitatur, & a mente conſilioque deducitur. Agunt eum præcipitem pæne civium Romanorum, quos partim ſecuri percuſſit, partim in vinculis necavit; partim implorantes jura libertatis, & Civitatis, in crucem ſuſtulit. Rapiunt eum ad ſupplicium Dii Patrii, quod iſte inventus eſt, qui e complexu Parentum abreptos Filios ad necem duceret, & Parentes, pretium pro ſepultura Liberorum poſceret. Religiones vero, ceremoniaque omnium ſacrorum fanorumque violata, ſimulacraque Deorum, quæ non modo ex ſuis templis ablata ſunt, ſed etiam jacent in tenebris ab iſto retruſa, atque abdita, conſiſtere ejus animum, ſine furore, atque amentia non poſſunt. Tibullus bella *ab efficiente* deteſtatur. *(a)*

Quis fuit horrendos primus, qui protulit enſes?
Quam ferus, & vere ferreus ille fuit.

Martialis *(b)*

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundiſſime Martialis; hęc ſunt
Res non parta labore, ſed relicta;
Non ingratus ager; focus perennis;
Lis nunquam; toga rara; mens quieta
Vires ingenuę, ſed ſalubre corpus &c.

5 *Finis eſt cauſſa propter quam aliquid fit.* Lucrum cauſſa laboris: Præda cauſſa Venationis. Cic. *Pro Archia.* Virtutem foveri gloria docet ab hac cauſſa. *Nullam enim Virtus aliam mercedem laborum, periculorumque deſiderat, præter hanc laudis, & gloriæ. Qua quidem detracta, Judices, quid eſt quod in hoc tam brevi tanti nos in laboribus exerceamur? Certe ſi nihil animus præſentiret impoſterum, & ſi quibus regionibus vita ſpatium circumſcriptum eſt, iiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas, nec tantis ſe laboribus frangeret, neque tot curis, vigiliiſque angeretur, neque toties de vita ipſa dimicaret.* Et in Miloniana probat *a fine* Clodium inſidiatum fuiſſe Miloni. *Satis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei cauſſam, magnam ſpem in Milonis mortem poſitam, magnas utilitates fuiſſe.* Propertius hinc amplificavit [c] avaritiam Pæti naufragi Juvenis.

Ergo

(a) *Lib.* 1. *Eleg.* 10. (b) *Lib.* 10. [c] *Lib.* 3. *eleg.* 5.

Ergo ſollicita tu cauſsa, pecunia, vita es?
Per te immaturum mortis adimus iter?
Tu vitiis hominum crudelia pabula prabes.
Semina curarum de capite orta tuo &c.

Ab eodem fonte illud Virgilii [a]

. . . . . Quid non mortalia pectora cogis
Auri Sacra fames?

6 *Materia eſt id, ex quo aliquid fit.* Hæc eſt improprie cauſſa, nam effectui intrinſeca eſt, neque ab effectu diſtinguitur. In hoc genere *Argentum*, vaſis; *Cæmentum*, Edificii; *Color*, Picturæ ſunt cauſſa Cicero a materie valvarum, quas Verres e Minervæ Templo ſuſtulerat, id furtum amplificat. (*b*) *Confirmare hoc liquido, Judices, poſſum: valvas magnificentiores ex auro, atque ebore perfectiores nullus ullo unquam tempore fuiſse.* Et paullo poſt. *Ex ebore diligentiſſime perfecta argumenta erant in valvis; ea detrahenda curavit omnia. Gorgonis os pulcherrimum, crinitum anguibus, revellit, atque abſtulit, & tamen judicavit ſe non ſolum artificio, ſed etiam pretio; quaſtuque duci. Nam bullas omnes aureas ex his valvis, qua erant, & multę, & graves, non dubitavit auferre; quarum iſte non opere delectabatur; ſed pondere*, Virgilius Æneam Carthagine morantem deſcribens [*c*] *materiem* notat.

. . . . . Atque illi ſtellatus jaſpide fulva
Enſis erat: Tyrioque ardebat murice lana
Demiſſa ex humeris: dives qua munera Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreverat auro.

De Templo item Carthaginis (*d*)

Ærea, cui gradibus ſurgebant limina, nexaque
Ære trabes: foribus cardo ſtridebat abenis.

7 *Forma* eſt *illud, quo unum ab alio diſtinguitur.* Diſtingui autem aliquid poteſt vel *intime*, vel *externe*. *Intima* forma eſt idem ac rei ſubſtantia, & natura: ut hominis eſt rationalis animus, ſenſuſque, & rationis facultas; Ut Leonis, *rugiendi*, Canis, *latrandi*, aut Equi, *hinniendi*, poteſtas &c.

8 *Externa forma* eſt rei ſpecies, ut ſenſui ſubeſt. Pulcri-

(*a*) *Aen.* 3. (*b*) *Act.* 4. [*c*] *Aen.* 4.
(*d*) *Aen.* 1.

critudo nempe , aut deformitas , figura , aut magnitudo , diſpoſitio , ſtructura &c. Cicero candelabrum illud gemmeum , Verris nequitia , ab Antioco ſublatum *(a) a forma* exornat . *Etenim* , inquit , *erat eo ſplendore , qui ex clariſſimis , & pulcherrimis gemmis eſſe debebat ; ea varietate operum , ut ars certare videretur cum copia , ea magnitudine , ut intelligi poſſet , non ad hominum apparatum , ſed ad ampliſſimi Templi ornamentum eſſe factum .* Virgilius [b] de Camilla .

Illam omnis tectis , agriſque effuſa Juventus
Turbaque miratur matrum , & proſpectat euntem
Attonitis inhians animis , ut regius oſtro
Velet honos leves humeros , ut fibula crinem
Auro internectat : Lyciam ut gerat ipſa pharetram ,
Et paſtoralem , præfixa cuſpide , myrtum .

Sunt alia apud Poetas exempla propemodum innumerabilia.

III Quid ſunt *Effecta ?*

8 Effecta , ſeu Effectus , *ſunt orta de cauſſis ;* ea videlicet , quæ a cauſſis gignuntur . Tot eorum ſunt ſpecies , quot cauſſarum . Fructus effectus arboris : Scientia ſtudii : Lucrum mercaturæ &c. Hæc plerumque cum cauſſis junguntur ad amplificandum . Tullius [c] Eloquentiam commendas . *Primum efficit , ut quæ ignoramus diſcere , & ea , quæ ſcimus alios docere poſſimus . Deinde hac cohortamur , hac perſuademus , hac conſolamur afflictos , hac deducimus perterritos a timore , hac geſtientes comprimimus , hac cupiditates , iracundiaſque reſtinguimus &c.* Et in Miloniana peroratione de gloria . *Eſſe hanc unam* (ſic Milonem loqui fingit :) *quæ brevitatem vitæ poſteritatis memoria conſolaretur ; quæ efficeret , ut abſentes adeſſemus , mortui viveremus ; hanc denique eſſe , cujus gradibus etiam homines , in cælum videantur adſcendere .* Apud Poetas hic locus uſitatiſſimus . Tibullus Pacem exornat *(d)*

.... Pax candida primum
Duxit araturos ſub juga curva boves .
Pax aluit vites , & ſuccos condidit uvæ ,
Funderet ut nato teſta paterna merum .

(a) Act. 4. (b) Aen. 7. [c] *De Nat. Deor. lib. 2.*
(d) Lib. 1. el. 10.

Pace bidens, vomerque vigent; at triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.
Ruſticus, e lucoque vehit male ſobrius ipſo,
Uxorem plauſtro, progeniemque domum.

De Diis vero Agricolis. (*a*)

Illi compoſitis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.
Illi etiam Tauros primi docuiſſe feruntur
Servitium, & plauſtro ſuppoſuiſſe rotam.
Tunc victus abiere feri: tunc conſita pomus,
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.
Aurea tunc preſſos pedibus dedit uva liquores,
Miſtaque ſecuro eſt ſobria lympha mero.
Rura ferunt meſſes calidi quum ſideris æſtu
Deponit flavas annua terra comas &c.

Multa ſequuntur ab aureo illo Poeta nitidiſſime expoſita. Extat apud Catullum *de Vere* pulcherrimum epigramma. *Jam Ver egelidos refert tempores &c.* Alia habet Horatius ad legendum pulcherrima in hunc locum.

Tractantur hi loci *in demonſtrativo, ac deliberativo* dicendi genere, *ad amplificandum, & argumentandum*. In Judiciali *ad argumentandum*; præcipue vero efficiens, & finis. Materies, & forma plurimum valent ad deſcribendum: Effecta item. Commiſceri autem ſolent, & alterum alteri adjungi. Materiam, formamque; finem, & media; efficiens, & productum, paſſim, & promiſcue comminiſcimur.

De modo amplificandi a Comparatione, Exemplo, & Fictione.

I Quid eſt *Comparatio?*

1 *Eſt collatio duorum, vel Plurium in quantitate*. In quantitate, inquam; Nam eo differt Comparatio a Similitudine, quod hæc *qualitatem* reſpicit, ſeu convenientiam. Illa vero, aut æqualitatem, aut inæqualitatem, quæ dicitur *quantitas* hoc loco.

II Quot

[*a*] *Lib.* 2. *el.* 1.

II Quot ſunt *Comparationis modi?*

1 Tres ſunt. *A Pari. A Majori ad Minus. A Minori ad Majus.*

3 *A Pari* fit Comparatio quum paria paribus conferuntur. Cicero Archiam laudans. *Quæ, vero accurate, cogitateque ſcripſit, ea ſic vidi probari, ut ad veterum Scriptorum laudem pervenirent.* Et pro Sylla. *Si quod eum defendo, quem Tu accuſas, cur tibi quoque ipſe non ſuccenſeo, qui accuſas eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuſo meum: & amicum ego defendo meum.* Æneas a pari argumentatur (a) diſceſſum parans.

.... Si te Carthaginis arces
Phœniſſam, Libycaque aſpectus detinet urbis:
Quæ tandem, Auſonia Teucros conſidere terra
Invidia eſt?

Turnus item (b) auxilia, quæ deerunt cum iis confert, quæ ſibi præſentia pollicetur.

Non erit auxilio nobis Ætolus, & Arpi?
At Maſappus erit, felixque Tolumnius, & quos
Tot populi miſere Duces.

4 *A Majori ad Minus* fit Comparatio quando majus præcedit, & Minus quod conſequitur a Majori deducitur. E. G. *Majus eſt hoſti, quam amico benefacere.* Fiet comparatio *a Majori*, ſi argumenteris eum qui bene de hoſte meretur, de amico pariter bene meriturum. Hinc Cicero (c) *Noli tam injuſtus eſſe, ut quum tui fontes, vel inimicis tuis pateant, noſtros rivulos etiam amicis putes clauſos eſſe oportere.* Tale illud in Miloniana Peroratione. *Revocare tu me in Patriam, Milo, potuiſti per hos; ego te in Patria per eoſdem retinere non potero? (d)* Hoc genere comparationis in Venerem utitur Virgilius.

Tu potes Æneam manibus ſubducere Gajum,
Proque Viro nebulam, & ventos obtendere inanes,
Et potes in totidem claſſem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra juviſſe, nefandum eſt?

Ab eodem illud Æneæ (e)

O paſſi graviora: dabit Deus his quoque finem.

 5 *A Mi-*

(a) *Aen.* 4. (b) *Aen.* 11. [c] *Pro Murena.*
(d) *Aen.* 10. (e) *Aen.* 1.

5 *A Minori ad Majus* fit comparatio quando Minus præcedit, & Majus, quod ſequitur, a Minori colligitur. E G. *Minoris pretii* profecto *eſt pedis, quam ingenii celeritas*. Fiet comparatio *a Minori* ſi eo probaveris ingenii celeritatem maximi faciendam, quod pedum celeritas multo in pretio habeatur. Hinc Tullius Roſcium Saltatorem cum Archia Poeta comparans. *Ergo ille*, inquit, *corporis motu tantum amorem ſibi conciliarat a nobis omnibus, nos animorum incredibiles motus, celereſque ingeniorum, negligemus?* & inferius. *Homerum Colophonii Civem eſſe dicunt ſuum, Chii ſuum vindicant, Salaminii repetunt, Smirnai vero ſuum eſſe confirmant. Itaque etiam delubrum ejus in Oppido dedicaverunt: permulti alii pugnant inter ſe, atque contendunt. Ergo illi alienum, quia Poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt; nos hunc vivum, qui & voluntate, & legibus noſter eſt, repudiabimus?* Et in Miloniana. *Etenim ſi in gladiatoriis pugnis, & in infimi generis hominum conditione, atque fortuna, timidos, & ſupplices, & ut vivere liceat obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus; fortes, & animoſos, & ſe acriter ipſi morti offerentes ſervare cupimus; eorumque nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quam qui eam efflagitant: quanto hoc magis in fortiſſimis Civibus facere debemus?* Juno eodem comparationis genere utitur. (*a*)

> .... *Pallaſne exurere claſſem*
> *Argivum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto? &c.*
> *Aſt ego qua Divum incedo Regina, Joviſque*
> *Et Soror, & Conjux, una cum gente tot annos*
> *Bella gero? Et quiſnam numen Junonis adoret*
> *Praterea? aut ſupplex aris imponat honorem?*

Horatius ad Lollium [*b*].

> *Ut jugulent homines ſurgunt de nocte latrones:*
> *Ut te ipſum ſerves non expergiſceris?*

III Quid eſt *Exemplum?*

1 Eſt, ut ſcriptor ad Herennium habet *alicujus facti, aut dicti præteriti cum certi Auctoris nomine propoſitio*. Ut ſi dixeris periculoſum eſſe opprimere Rempublicam, quod fuerit Julius Cæſar propterea interemptus.

IV Un-

[*a*] *Aen. 1.* (*b*) *Lib. 1. Epiſ. 2.*

IV Undenam depromi poſſunt exempla ?

1 A Quadruplici Rerum claſſe ut Voſſius notat.

A Perſona vera; ut ſi Joſephi exemplo commendes caſtitatem.

A Perſona e Poetarum fabulis petita: ut ſi idem probes exemplo Hyppoliti.

A muto animante; ut ſi Liberorum curam commendes, Hirundinum, aut avium ceterarum exemplo.

A re ſenſus experte; ut ſi natos a Matre proprio lacte nutriendos probes arborum exemplo, quarum unaquæque eum alit fructum, quem genuit.

3 Utitur exemplis Tullius ſæpiſſime. In Divinatione Verrina Cœcilium ab Accuſatoris munere extrudendum docet ab hoc loco. *Neque fere unquam venit in contentionem de accuſando, qui quæſtor fuiſſet, quin repudiaretur. Itaque neque L. Philoni in C. Servilium nominis deferendi poteſtas eſt data, neque M. Aurelio Scauro in L. Flaccum, neque Cn. Pompejo in T. Abutium &c.* Initium Refutationis in Miloniana Oratione totum exemplis conſtat, quibus contendit Milonem etiamſi Clodium a ſe occiſum fateretur, abſolvendum eſſe. Inferius in idem argumentum, a fabulis exemplum petit. *Itaque hoc Judices, non ſine cauſſa fictis fabulis doctiſſimi homines memoriæ prodiderunt, eum, qui Patris ulciſcendi cauſſa, matrem necaviſſet, variatis hominum ſententiis, non ſolum humana, ſed etiam Deæ ſapientiſſimæ ſententia liberatum.* Venus ab exemplo Jovem demereri Æneæ ſtudet. [a]

Antenor potuit mediis delapſus Achivis
Illiricos penetrare ſinus &c.
Nos tua progenies &c.

& Priamus contrario exemplo ſic Pyrrum arguit.

At non ille, ſatum, quo te mentiris, Achilles,
Talis in hoſte fuit Priamo.

Horatius humanam audaciam increpat [b] pulcherrimis exemplis.

Audax omnia perpeti
Gens humana, ruit per vetitum nefas.
Audax Japeti genus

 Ignem

(a) Aen. 1. [b] Lib. 1. od 4.

Ignem fraude mala gentibus intulit &c.
Expertus vacuum Dædalus aera
Pennis non homini datis:
Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Exempla in *deliberativo*, *&* *judiciali* genere magnum locum habent. *Docent*, *ac movent*. Interdum brevius, aliquando copioſius explicantur. Plura etiam, ſi res ferat, congeruntur. Cavendum tamen ne Oratio tota in his verſetur, neque nimium fabulis, aut Poematibus farciatur.

V Quid eſt *Fictio*, ſive ut Græci dicunt *Hypotheſis*?

5 *Eſt propoſitio alicujus rei, quæ ſi vera ſit, aut ſolvit quæſtionem, aut cauſſam adjuvat*. Hac Cicero in Catilinam utitur, ut ei diſceſſum ex Urbe perſuadeat. [a] *Si te parentes timerent, atque odiſſent tui, neque eos ulla ratione placare poſſes, ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes. Nunc te Patria, quæ communis eſt omnium noſtrum parens odit, ac metuit; & tamdiu te nihil judicat, niſi de parricidio ſuo cogitare. Hujus tu, neque auctoritatem verebere, neque judicium ſequere, neque vim pertimeſces?* Ad minuendam vero Milonis invidiam. *Fingite animis: liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ, & quæ volunt ſic intuentur, ut ea cernimus, quæ videmus. Fingite igitur cogitatione imaginem hujus conditionis meæ, ſi poſſim efficere ut Milonem abſolvatis, ſed ita, ſi P. Clodius revixerit. Quid vultu extimuiſtis? Quonam modo ille vos vivus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percuſſit? Quid? ſi ipſe Cn. Pompejus, qui ea virtute, ac fortuna eſt, ut potuerit ſemper, quæ nemo præter illum: ſi is, inquam potuiſſet, ut quæſtionem de morte P. Clodii ferre, ſic ipſum ab inferis excitare: utrum putatis facturum fuiſſe? Etiamſi propter amicitiam vellet illum ab inferis revocare, propter Rempublicam non feciſſet. Ejus igitur mortis ſedetis ultores, cujus vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis?*

Eſt hujuſmodi *Fictio*, quaſi quoddam exemplum ſeu Comparatio. Propterea de ea hoc loco egimus. Tractatur a Majori, a Minori, & a Pari.

De

[a] *Orat.* 1.

De Locis extrinſecis.

HÆc ſuperius loca recenſita ſunt. De his ſingillatim agemus.

I Quid ſunt *Præjudicia*?

1 *Sunt ſententiæ, ſeu judicia de præſenti vel ſimili cauſſa pronunciata.* Cicero in Milonis defenſionem ſimilia judicia congerit, quibus probet jure Clodium occiſum. *Neque enim* (en locum) *poſſet aut Abala ille Servilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me Conſule, Senatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos Cives interfici nefas eſſet.*

II Quid eſt *Fama*, ſeu *Rumor*?

2 *Eſt ſermo vulgatus, & multitudinis conſenſu firmatus.* Eadem Oratione, a qua exempla omnia in hæc loca trahimus, multa de rumoribus in Milonem diſſerit. *An vero obliti eſtis, Judices, recenti illo nuntio necis Clodianæ, non modo inimicorum Milonis ſermones, & opiniones, ſed nonnullorum etiam imperitorum, qui negabant eum Romam eſſe rediturum?* & paullo poſt. *Multi etiam Catilinam, atque illa portenta loquebantur &c.*

III Quid ſunt *Tormenta*?

3 *Sunt Quæſtiones, ſeu Cruciatus, quibus veritas extorquetur*: Valent in forenſibus cauſſis ad fidem, ſi poſt Quæſtionem Reus in facti confeſſione perſeveret. Cicero de Servis Milonis agens. *Cur igitur eos manumiſit? Metuebat ſcilicet ne indicarentur, ne dolorem proferre non poſſent, ne tormentis cogerentur occiſum eſſe a ſervis Milonis in Appia via P. Clodium confiteri. Quid opus eſt tortore? Quid quæris? Occiderit ne? Occidit. Jure, an injuria? nihil ad Tortorem; facti enim in equuleo quæſtio, juris in judicio.*

IV Quid eſt *Jusjurandum*?

4 *Eſt affirmatio vel negatio alicujus rei religioſo ritu facta.*

V Quid ſunt *Tabulæ*?

5 *Sunt ad rei fidem prolata ſcripta, ſeu publica, ſeu privata.* Tullius. *Exhibe, quæſo, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum veſtrarum &c.* & ſuperius. *Quod ſi duodecim*

decim tabulæ noſturnum furem quoquo modo, diurnum vero; ſi ſe telo defenderit, interfici impune voluerunt: quis eſt qui &c.

VI Quid ſunt *Teſtes?*

6 *Sunt qui rem teſtimonio ſuo confirmant.* Ibidem. *Legite teſtimonia teſtium veſtrorum. Dixit C. Caſſianius, cognomento Schola, Interamnis, familiaris meus &c.* & paullo poſt. *Dixit hoc comes item P. Clodii C. Clodius.*

Hi loci ad genus Judiciale potiſſimum pertinent. Quæſtiones vero, & Jusjurandum ſunt ejus tantum, Ceteri, aliquem in aliis cauſſarum generibus locum interdum obtinent. *Teſtimonia tamen in omnibus adhibentur.* Habemus divina eloquia, habemus Sapientum dicta, graveſque Veterum ſententias, quæ ad rem confirmandam, augendamque affirmationem, extrinſecus aſſumuntur, ubicunque opportuna eſſe videantur.

A P P E N D I X

De Tranſitionibus.

I QUid eſt *Tranſitio?*

1 *Eſt nexus quo, & partes Orationis, & ſingula partium membra inter ſe copulantur.*

II Quotuplex reperitur *Tranſitionis modus?*

2 Innumeræ propemodum ſunt ab altero in alterum tranſeundi rationes. Tamen quum ad duo præcipua capita reducantur, hinc *Duplex Tranſitio* ſolet aſſignari: *Perfecta* videlicet, & *imperfecta*. Perfecta *eſt rei jam dictæ brevis commemoratio, & dicendæ propoſitio.* Sic Tullius [a]. *Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, magnitudine perioculoſum. Reſtat, ut de Imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo dicendum eſſe videatur.* Virgilius (b)

Hactenus agrorum cultus, & ſidera Cœli
Nunc te, Bacche canam.

3 Tran-

(a) Pro Leg. Manil. (b) 2. Georg.

3 Tranſitio *Imperfecta* eſt quæ *vel tantum dicta reſumit ;* *vel tantum dicenda proponit , aut connectit .*

Exemplum primi modi eſt illud pro Dejotaro . *En crimen, en cauſſa , cur Regem fugitivus , Dominum ſervus accuſet .* Item apud eundem Tullium, *De natura Deorum* , hæc habes . *Hae mihi fere in mentem veniebant , quæ dicenda putarem de natura Deorum .* Verum hic tranſitionis modus eſt potius concluſio eorum , quæ dicta ſunt , quam vera de uno in aliud tranſitio . Attamen quum ſtatim alia ſubjungantur ſine ulla præparatione , eo tranſitio dicitur , quod Auditor quum intelligat ſuperiora abſoluta eſſe , novum aliquid ſubſequi deprehendit . Exemplum ſecundi modi eſt . (a) *Venio ad Lyſaniam ejuſdem Civitatis peculiarem tuum , Deciane , teſtem* ; & pro Roſcio Amerino . *Age, nunc illa videamus , Judices , quæ conſecuta ſunt .*

4 Tranſitio item vel *aperta* eſt , vel *occulta* , & quaſi clam , & furtive , de una in aliam rem , Auditorem deducens . Prima ad conjungendas Orationis partes plurimum adhibetur . Altera ad complectendas ſententias uſuvenit , rationeſve multiplices , quibus unum aliquid identidem comprobatur . Illa Judiciali potius , ac Deliberativo ; Hæc Demonſtrativo generi videtur convenire .

5 Tranſitiones *apertæ* a Locis Oratoriis trahi poſſunt ; *Occultæ* a figuris pulcherrime obtinentur . Omnes generatim , vel ab alterutro ex præfatis fontibus , vel a conjunctionibus deducuntur .

Tranſitiones per Loca Oratoria , earumque exempla ex Tullio .

A Toto ad partes [b] Jam univerſa iſtorum cognita cupiditate , accedam ad ſingulas querelas , criminationeſque Græcorum .

Ab Oppoſito (c) Sed hæc vetera ; illud recens , Cæſarem meo conſilio interfectum .

A Diſſimili (d) Age nunc iter expediti latronis , cum Milonis impedimentis comparate .

A Minori ad majus [e] Multas equidem C. Cæſaris virtutes

(a) *Pro Flac.* (b) *Pro Flac.* [c] *Philipp.*
(d) *Pro Mil.* [e] *Pro Rabir.*

,, Et quoniam Auctoritas multum in bellis quoque ad-
,, miniſtrandis, atque imperio militari valet, certe ne-
,, mini dubium eſt &c.

,, Reliquum eſt, ut de felicitate, quam præſtare de ſe
,, ipſo nemo poteſt, meminiſſe.

,, Age vero ceteris in rebus qualis ſit temperantia.

,, Jam quantum conſilio valeat &c. Eidem vero ejus &c.
,, Humanitate jam tanta eſt &c.

Pro Archia. At ne quis a vobis hæc ita dici forte arbitretur.

,, Sed ne cui veſtrum mirum eſſe videatur &c.

Formulæ, & particulæ tranſitionibus famulantes eſſe poſſunt hujuſmodi, His adde. Accedit. Huc accedit. Huc pertinet. Venio nunc ad &c. Redeo illuc unde diverteram. Reliquum eſt. Revocate in mentem &c. Quæret hic aliquis. At longe aliter &c. Utinam ea rediret conſuetudo. Illud prætereo &c. Reſtat ut dicam. Omitto &c. Poſtularet hic locus. Ex quo debet intelligi. Verum. Non modo. Inſuper. Præterea. Etenim &c.

Moneo in tranſitionibus non eſſe nimis laborandum; Neque enim ſtudioſius, aut exquirendæ, aut occultandæ, aut deducendæ. Expedit ita ſuperiorem ſententiam claudere, ut aditum ſequenti nullo negotio recludat; in quo ingenium eluceat, & quædam felicitas cogitandi. Quę laborioſa, ac difficilis videri poſſit Tranſitio, caveatur. Satis eſt nexum orationis manifeſtare, quam circumducere, & operoſius trahere. Ciceronis tranſitiones, faciles plerumque, illud confirmant, quod nos docuimus.

HU-

HUMANIORUM INSTITUTIONUM
LIBER SECUNDUS.

De variis componendi Caracteribun.

I Quotuplex eſt componendi character, ſeu *Stilus.*

Triplex eſt. *Magnificus*, ſive ſublimis. *Humilis*, ſeu tenuis, *Mediocris*, ſive medius, & æquabilis,

De magnifico ſcribendi Stilo.

I Quid eſt magnificus, ſive *ſublimis dicendi Stilus?*

Ille eſt, qui magnum aliquod continet, conjunctam gignens cum admiratione voluptatem.

II Unde oritur *magnitudo*, & *admiratio?*

A Sententiis; Locutionibus; & Verbis.

III Unde magnifica *ſententia?*

1 Sententia, vel eo magna eſt, *quod objectum reſpicit grandius*; vel *quod mentis conceptum continet pulcrum, & excellens, vel quod utrumque* complectitur.

2 Objectum illuſtre ac magnificum, Dei in primis poteſtas eſt, magnitudo, ac majeſtas. Sunt Principum Virorum, & Regum præclare geſta, Prælia, Triumphi, & alia cum dignitate quadam, & gravitate conjuncta. Illud afferri ſolet Virgilianum exemplum (a)

Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat.

& illud de Jove [b]

Annuit & totum nutu tumefecit Olympum.

Verum multo in ſacris libris præclariora habemus.

3 Sen-

(a) *Aen.* 1. [b] *Aen.* 10.

Digitized by Google

3 Sententia ſecundo modo ſublimis fit, ſi conceptus verum aliquod contineat, novum tamen ſeu nova quadam ratione Propoſitum. E. G. De Dei poteſtate illud extat. [a] *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Hæc ſententia eandem continet veritatem, cum hac (b) *Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux*: eandem cum hujuſmodi *Dixit*, & *facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt*. Primo modo, quoniam multo notiori formula, ac ratione propoſita, minus eſt excellentior: ſequentibus vero, quanto ſublimior evadit!

4 Alia ratio extollendæ magnificandæque ſententiæ eſt *Idolum* ſeu imago, qua res immota, ac iners, quaſi in viventem, mobilem, ac rationis compotem tranſit, Horatius, ac Poetæ Lyrici potiſſimum in hoc præſtant. Ille nativam hanc, tritamque ſententiam, *Viri nobiles curis non carent*: ita expoſuit (c)

. . . . . Sed timor, & minæ
Scandunt eodem quo Dominus: neque
Decedit ærata triremi, &
Poſt Equitem ſedet atra cura.

& alibi [d] *Scandit æratas vitioſa naves cura* — Item — *Curas laqueata circum Tecta volantes*. Multo autem præclarius exemplum habemus ex Sacris Libris: *Baruc* videlicet (e) quo nihil excogitari ſublimius poteſt. *Qui emittit lumen, & vadit, & vocavit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt, vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus &c.* Quid magnificentius proponi poteſt? Simplex ſententia hæc eſt, *Creatæ res obediunt Deo*; vel hæc: *Lumen, & ſtellæ in Dei poteſtate ſunt*. Quid quæſo conceptum mentis in tantam ſuſtulit magnitudinem, niſi *Idolum*, ſeu imago illa, qua Ancillarum in morem Stellæ in promptu ſunt, & Lumen, Mancipii inſtar, metuens, ac tremens famulatur?

III Locutiones qui fieri manifice poſſunt?

1 Periphraſi. Longinus eam formulam commendat, qua Plato *Fatale iter* mortem vocavit, & eam, qua Xenophon La-

[a] *Pſal. 32.* (b) *Gen. 1.*
[c] *Lib. 3. od. 1.* (d) *Lib. 2. od. 14.*
(e) *cap. 3.*

Laborem hominibus, ad feliciter vivendum, Ducem eſſe oportere affirmavit,

2 Metaphora. Præclare Virgilius [a]

. . . . . *Caſar dum magnus ad altum*
Fulminat *Euphratem bello*.

Et Cicero *pro Marcel'o — Nullius eſt tantum* flumen *ingenii &c.* Idem multo magis præſtant Allegoriæ. Idem figuræ aliæ robuſtiores. Propterea, & Appium Cæcum excitare licet cum Cicerone, (b) & Albani tumuli, & luci, aræque obrutæ compellari poſſunt cum eodem [c] & Charybdi, & Oceano, deteſtari proderit, Antonium voraciorem [d] &c.

IV Quæ verba magnificentiæ magis idonea?

1 Verba quæ magis *exprimunt*, quæ magis *ſonant*, quæ ſunt *compoſita*, dummodo non ea imitentur, quorum uſum *Dityrambus* vindicat.

2 Opportuna ſunt adjectiva, quæ rem, & conceptum magis produnt, & quodam quaſi colore depingunt. Exemplo ſit illud Virgilii [e]

Et magnos membrorum artus, magna oſſa lacertoſque
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena.

Et alibi (f)

Vidi egomet, duo de numero, quum corpora noſtro
Prenſa manu magna, medio reſupinus in antro
Frangeret ad ſaxum, ſanieque aſperſa natarent
Limina, vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent ſub dentibus artus.

De Stilo tenui.

I Quid eſt *ſimplex*, ſeu *tenuis* componendi character? Stilus tenuis ſimplex, aut infimus eſt *qui in humilioribus, & exilioribus argumentis verſatur.*

II Quænam ſunt huius dotes?

Sunt *puritas*, *ſimplicitas*, *& facilitas*.

III Unde oriuntur hæ dotes?

1 A

(a) *Georg.* 4. [b] *Pro Cœlio.* [c] *Pro Mil.*
(d) *Philipp.* 2. [e] *Aen.* 5.
(f) *Aen.* 3.

1 *A ſententiis*, quæ ſimplices eſſe debent, familiares, ac minime excogitatæ, non exquiſitæ, aut figuratæ. Sit exemplo quod *Lib.* 4. *Epiſt. fam. epiſt.* 3. ad Sulpitium Tullius habet — *Quare meminiſſe debes eos, qui auctoritatem, & conſilium tuum non ſunt ſecuti, ſua ſtultitia occidiſſe, quum tua prudentia ſalvi eſſe potuiſſent*, & inferius — *Quod autem a tuis abes, id eo levius ferendum eſt, quod eodem tempore a multis, ac magnis moleſtiis abes, quas ad te omnes perſcriberem, niſi vererer, ne ea cognoſcerens abſens, quę quia non vides, mihi meliori videris eſſe conditione, quam nos, qui videmus.*

2 *A locutionibus*, quæ puræ ſint, *ſine translatione*, *ſine figuris*; niſi eæ eſſent quædam ſimpliciores, ac familiares. Phædrus mihi, ſi quis alius, excelluiſſe videtur maxime. Quid hoc facilius epigrammate? (*a*)

Æſopi nomen ſicubi interpoſuero,
Cui reddidi jam pridem quidquid debui;
Auctoritatis ſcito eſſe gratia.
Ut quidam Artifices noſtro faciunt ſęculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adiſcripſerint, Praxitelen ſuo
Myronem argento. Plus vetuſtis nam favet
Invidia mordax, quam bonis præſentibus.

Verum de hoc redibit ſermo quum de Fabula agemus.

3 *A vocibus* pendet ea ſimplicitas, de qua agimus, quum ea propria, & nativa ſunt, ſeu verba ſint, ſive nomina. Hoc genus ab epithetis abhorret, niſi eä neceſſaria ſint; & ullam vix admittit tranſpoſitionem, aut caſuum obliquationem.

IV Quænam ſunt ea nominatim argumenta, in quibus diximus infimum characterem verſari?

Sunt *Epiſtolę*, *Fabellæ*, *Dialogi*, *Præceptiones*, *Ecloga*, *Comœdia*, *Satyræ*.

De Stilo medio.

I Quid eſt *medius*, æquabilis, ſeu temperatus componendi *ſtilus*.

Eſt,

(*a*) *Initio Lib.* 5.

Eſt, inquit Tullius, *ſtilus quidam interjectus, intermedius, ac quaſi temperatus, neque acumine inferioris, nec fluмine utens ſuperioris, vicinus amborum, in neutro excellens, utriuſque particeps.* Alibi idem Cicero eum vocat, *floridum, atque politum.*

II Quænam ſunt ejus dotes?

Sunt *Venuſtas, & Gratia.*

III Qua obtineri ratione poſſunt?

1 *Sententiis pulcherioribus*, quæ vel eo pulcræ ſint, quod res venuſtas reſpiciant, vel quod conceptum exprimant mentis elegantem, & ingenioſum, vel quod opportunam, ac ſuavem aliquam comparationem inducant, vel quod præſtantis alicujus effati comminiſcantur. Quam pulcre Virgilius de Eurialo formoſo Juvene morte truncato [a]

Volvitur Eurialus leto, pulcroſque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapſa recumbit.
Purpureus veluti quum flos ſucciſus aratro
Langueſcit moriens, laſſove papavera collo
Demiſere caput, pluvia quum forte gravantur.

Et de Aſcanio (b)

Ipſe inter medios, Veneris juſtiſſima cura,
Dardanius caput ecce puer detectus honeſtum;
Qualis gemma micat, fulvum qua dividit aurum;
Aut collo decus, aut capiti: vel quale per artem
Incluſum buxo, aut Oricia terebintho
Lucet ebur: fuſos cervix cui lactea crines
Accipit, & molli ſubnectit circulus auro.

2 *A locutionibus, elegantioribus, nobilioribus, politioribus*; Numero ſententiæ, & locutiones gaudent dulci, ac delicato: Figuras reſpuunt vehementiores, ceteras admittunt.

3 *Verborum nitor, atque delectus* hujus eſt characteris proprius. Liber Ciceronis *de Officiis* abſolutiſſimum eſt ad imitandum exemplar.

Pertinet ad hoc genus dicendi, potiſſimum Hiſtoria.

De

[a] *Aen.* 9. (b) *Aen.* 10.

De vitiis in componendo.

I Quæ vitia allatis componendi characteribus opponuntur.

1 *Tumiditas, & audacia, frigiditas, diſſolutio, ariditas.*

II Quinam eſt Stilus *tumens*, ſive inflatus, & *audax*?

2 Qui verba ſectatur ampullosa, immanes hyperboles, fatuaſque ſententias. De hoc Horatius.

Projicit ampullas, & ſeſquipedalia verba.

Item

..... *Profeſſus grandia turget.*

Tale eſt, quod Perſius ridet (a)

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis &c.

Hoc quidem, ratione verborum. Sententiarum cauſſa tale apud Statium (b) de *Tenaro* monte celſiſſimo.

Stat ſublimis apex, ventoſque, imbreſque ſerenus
Deſpicit, & tantum feſſis inſiditur aſtris &c.

Aſtra profecto, quæ *feſſa* apici montis *inſident*, ampullarum inſtar mihi ſemper viſa ſunt ea carmina perlegenti.

3 In hoc vitium ſuperiori ſæculo noſtratum multi cum Oratores, tum Poetæ prolapſi ſunt, quorum lectionem cavere oportet Adoleſcentem.

III Quinam eſt *frigidus*, ſive ut dicunt, puerilis character?

4 Eſt qui affectandæ argutiæ, ingeniique oſtentandi cauſſa, vana, & inepta conſectatur. Ut illud. *Centaurus ſeipſum equitans. Auro magis aurea virtus.* Vel quod Auctor ad Herennium arguit. *Montes belli fabricatus, campos ſuſtulit pacis.* Notiſſimum illud, quod apud Plutarcum legimus, De Templo Dianæ Epheſiæ ea nocte flammis abſumpto, qua Alexander Macedo natus fuit. Fuerunt enim, qui *eo dicerent templum Dianæ conflagraſſe, quod tum Dea obſtetricis muneri intenta, vim ignis una reſtinguere non potuiſſet.* Frigidam ſane ſententiam.

IV Undenam *diſſolutus* aut fluctuans, ſive aſiaticus ſtilus gignitur?

(a) *Sat. 1.* (b) *Thebaid. Lib. 2.*

5 A *ſententiarum*, & *verborum* redundantia a *conjunctionum* defectu; & quod ſæpe Adoleſcentem vitium eſt, ab *importuna* multarum invicem *rerum mixtura*. Auctor ad Herennium hoc affert exemplum — *Socii noſtri quum belligerare nobiſcum vellent, profecto ratiocinati eſſent etiam atque etiam quod poſſunt facere, ſiquidem ſua ſponte fecerunt, & non haberent hinc adjutores multos, & malos homines, & audaces: ſolent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt gerere*.

In hoc vitium ii plerumque incidunt, qui multa congerere apta, inepta, proxima, diſparata volunt, & omnia uno ſpiritu fundere, & una ſententia pronuntiare. Verum hoc eſt confuſæ mentis, judiciique in eligendo, atque ordinando obliqui, præpoſterique.

V Quis eſt character ille exſuccus, *aridus*, & exanguis?

6 Qui *nihil ornamenti* habet, vel qui ineptis utitur ad exprimendum formis. Illud arguitur a Voſſio: *Xerſes deſcendit cum ſuis*. Nam dicendum fuerat, inquit, *Cum innumerabili exercitu*; *cum tota Aſia*. Item ſi Parricidam *Homicida* nomine dixeris; ſi *humidum ſudorem*, ſi te *oculis vidiſſe*, *auribus audiiſſe* affirmes. Hæc enim reprehendi ſolent, & ut apud Quintilianum habemus: *Emendavit hoc non inurbane in Hircio Cicero, qui quum in Panſam declamans, filium a matre decem menſibus in utero latum eſſe dixiſſet; Quid alia, inquit, in penula ſolent ferre?* Habemus tamen apud Virgilium (a) *Vocemque his auribus hauſi*. Verum illud affirmationis augendæ cauſſa dictum, ipſe approbat Quintilianus.

De uſu diverſi in dicendo characteris.

I Quandonam ſimplici, medioeri, ſublimi ſtilo utendum eſt?

1 Optimum eſt hos invicem commiſcere, præſertim in Orationibus, de quibus ſuo loco dicemus. Generatim vero, ut Tullius monet: *Magna graviter, mediocria temperate, humilia ſubtiliter efferantur*.

2 Sunt

(a) *Aen*. 4.

2 Sunt tamen nonnulla argumenta, quibus certa componendi ratio reſpondet. *Sublimis*, Orationibus in exornando, movendo, & perorando tribuitur, ut in Rhetoricis Inſtitutionibus dicemus. Item, Lyricæ, Tragicæ, & Epicæ Poeſi.

3 *Medius* hiſtoriæ, & narrationibus datur; item Elegíæ, illique Poeſi, qua ad docendum utitur.

4 *Infimus* in Fabulis, Epiſtolis, Dialogis verſatur; ac in Buccolica, Comica, Satyrica Poeſi.

De nonnullis peculiaris Stili argumentis.

De conſcribendis Epiſtolis generatim.

I Quid ſignificat *Epiſtolæ* nomen, & quid eſt *Epiſtola*?

1 A Greco verbo *epiſtello*, quod latine ſignificat *mitto*; nomen epiſtolæ deductum eſt. Innuit autem mitti Epiſtolam ad abſentes. Epiſtola enim ex Demetrio, definiri ſolet: *Abſentis cum abſente ſcripta quadam ſermonis imago, quæ vocis, & linguæ vicem geret*; neque enim alia de cauſſa inventa eſt, niſi ut certiores Tullio teſte *(a)* faceremus abſentes, ſi quid eſſet, quod eos ſcire, aut noſtra, aut ipſorum intereſſet.

II Quotuplex eſt *Epiſtolarum genus*?

1 In dividendis Epiſtolarum generibus aliam alii viam tenent. Nos in ea partiemur, in quæ Rhetores Orationum genera diſtribuere ſolent, de quibus infra. Sunt igitur aliæ *demonſtrativa*, aliæ *deliberativa*, aliæ *judicialis* facultatis Epiſtolæ.

III Quot, & quænam ſunt *Epiſtolæ partes*?

3 Aliæ ſunt epiſtolæ partes *certæ*, aliæ *incertæ*; Seu aliæ ſunt partes, quæ in omnibus epiſtolis, & aliæ, quæ in nonnullis tantummodo reperiuntur.

4 Nulla eſt Epiſtola, in qua *Salutatio*, *Valedictio*, *Loci ac temporis nota* non reperiantur. *Salutatio* veterum Latinorum more, ſcribentis, & ejus, ad quem ſcribebant, nomen cum ſalutis omine continebat. *Tullius Hortenſio ſalutem.*

(a) Lib. 2. epiſt. 5.

tem. Vel *Hortenſius Tullio ſuo S. P. D.* Vel *Cicero S. D. L. Lucejo Q. F. &c.* Noſtratibus uſus invaluit, ut Scribentis nomen in calce litterarum, ejus vero ad quem ſcribitur, exteriori pagella notetur. Salutatio tamen ſub aliquo honoris titulo præſcribi ſolet. *Valedictio*, Latinis verbo *Vale*, *Cura ut valeas*, *Valetudinem tuam cura*, & ſimilibus formulis abſolvitur. Nos vero obſequium, & famulatum pollicentes, conſcriptam materna lingua epiſtolam terminamus. *Locus*, *ac tempus* ob notitiam, ac memoriam apponi ſolet.

5 Quædam ſunt epiſtolæ, quæ *exordio*, *narratione*, *confirmatione*, *refutatione*, *ac peroratione* quadam coaleſcunt. Nulla eſt, quæ non exordio, narratione, & aliqua confirmatione conſtet. Sed hoc inferius exemplis illuſtrabitur.

IV Quænam ſunt *Epiſtolæ dotes*?

6 Duæ potiſſimum. *Perſpicuitas*, & *Brevitas*. Illa eſt cujuslibet orationis virtus præcipua. Nam propterea loquimur, aut ſcribimus, ut intelligant qui audiunt, aut legunt. De *Perſpicuitate*, *Puritate*, & aliis affinibus ſuperius actum eſt. Eadem recolenda. *Brevitas* vero perſpicuitati conjuncta, efficit, ut citius, & facilius rem noſtram communicemus.

7 Quanta vero epiſtolæ longitudo ſtatuenda ſit, non alia lege decerni poteſt, quam ea, quæ rei neceſſitatem ſpectet. Hinc ea memoranda ſunt, quæ de *narrationis brevitate* præcipiuntur. Generatim nimia neque brevitate, neque prolixitate peccet. Garrulitas profecto cum in omni, tum in epiſtolari potiſſimum oratione odioſa.

V Quinam *epiſtolarum ſtilus*?

8 Verſantur epiſtolæ *in tenui*, vel *in medio* dicendi charactere. De his conſcribendi modis actum eſt. Moneo omnem elegantiam, & orationis concinnitatem epiſtolas decere, quæ præfatos dicendi ſtilos. Adagia, Fabellæ, Epiphonemata, Exempla, aut Teſtimonia Veterum, uſui eſſe poſſunt. Quum tamen ad Sapientes, aut Principes Viros ſcribimus paullo poteſt a familiari ſermone diſcedere epiſtolaris ſententia, & elocutio. Multæ apud Ciceronem leguntur paullo præſtantiores, & ſublimiores.

Va-

Variæ Epiſtolarum formulæ ex Tullio.

Exordia.

Lib. 6. *ep.* 2. — Peto a te ne me putes oblivione tui rarius ad te ſcribere, quam ſolebam, ſed aut gravitate valetudinis, qua tamen jam paullulum videor levari, aut quod abſum ab Urbe, ut qui ad te proficiſcantur ſcire non poſſim.

Lib. 9. *ep.* 10. — Non ſum auſus Salvio noſtro nihil ad te litterarum dare: nec mehercule habebam quid ſcriberem; niſi te a me mirabiliter amari, de quo nihil etiam ſcribente me, te non dubitare certo ſcio.

Lib. 15. *ep.* 16. — Puto te jam ſuppudere, quum hæc te tertia Epiſtola ante oppreſſit, quam tu ſchedulam, aut litteram. Sed non urgeo: longiores enim exſpectabo, vel potius exigam.

Reſponſionum Exordia.

Lib. 1. *ep.* 7. — Legi tuas litteras, quibus ad me ſcribis gratum tibi eſſe, quod crebro certior per me fias de omnibus rebus, & meam erga te benevolentiam facile perſpicias; quorum alterum mihi, ut te plurimum diligam, facere neceſſe eſt, ſi volo is eſſe, quem tu me eſſe voluiſti: alterum facio libenter, ut quoniam intervallo locorum, & temporum disjuncti ſumus, per litteras tecum quam ſæpiſſime colloquar.

Lib. 2. *Ep.* 1. — Quanquam me nomine negligentiæ ſuſpectum tibi eſſe doleo, tamen non tam mihi moleſtum fuit accuſari abs te officium meum, quam jucundum requiri; præſertim quum in quo accuſabar culpa vacarem; in quo autem deſiderare te ſignificabas meas litteras, præ te ferres perſpectum mihi quidem, ſed tamen dulcem, & optatum amorem tuum.

Lib. 4. *ep.* 4. — Accipio excuſationem tuam, qua uſus es, cur ſæpius ad me litteras uno exemplo dediſſes; ſed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentia, aut improbitate eorum, qui epiſtolas accipiant, fieri ſcribis, ne ad nos perferantur. Illam partem excuſationis, qua te ſcribis, ora-

orationis paupertate (ſic enim appellas) iiſdem verbis epiſtolas ſæpius mittere, nec agnoſco, nec probo.

Lib. 9. *ep.* 16. — Delectaverunt me litteræ tuæ, in quibus primum amavi amorem tuum, qui te ad ſcribendum incitavit.

Clauſula.

Lib. 3. *ep.* 7 — Hæc ad te ſcripſi liberius, fretus conſcientia officii mei, benevolentiæque, quam a me certo judicio ſuſceptam, quoad tu voles, conſervabo.

Lib. 3. *ep.* 9. — Hæc igitur tibi erunt curæ, quemadmodum oſtendis, meque totum, & mea & meos commendatos habebis.

Lib. 6. *ep.* 4. — Ego quæ te velle, quæque ad te & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſe, diligenterque curabo: quæ quum faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non aſſequar.

Lib. 10. *ep.* 3. — Hoc tantum ſignificandum putavi, ut potius amorem tibi oſtenderem meum, quam oſtentarem prudentiam. Interea quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, ſtudioſe, diligenterque curabo.

Lib. 11. *ep.* 29. — A me autem quum paullum otii nacti erimus, uberiores litteras exſpectato. Da operam ut valeas. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

De epiſtolis, quæ generis Demonſtrativi dicuntur.

I QUid eſt epiſtola *narrans*, ſeu *nuntians*?

1 Hæc epiſtola, quæ etiam negotialis, ſeu monens, & deſcribens appellatur, *ea eſt, quæ res geſtas, aut quarumcunque rerum deſcriptionem complectitur*. Verſari ſolet in publicis privatiſque negotiis, pacis, belli, Reipublicæ &c. ſeu Familiæ, Domus, Amicorum &c. Hæc litterarum ſpecies eas virtutes requirit, quæ ſunt narrationis propriæ. *Cavendum in re gravi, ne quid narrando omittatur, quod ſcire operę pretium ſit*. Concludi poteſt morali aliqua ſententia, ne provecta narratio faſtidium gignat; vel jocus aliquis miſceri poteſt, ſi res ferat, & tanta cum

Ami-

Amico ſit familiaritas, ut cum eo jocari liceat. En exemplum ex Tullio *Lib.* 2: *ep.* 11. ad Cœlium Ædilem.

,, Putareſne unquam accidere poſſe, ut mihi verba
,, deeſſent, neque ſolum iſta veſtra oratoria, ſed hæc
,, etiam levia noſtratia? Deſunt autem propter hanc
,, cauſſam, quod mirifice ſum ſollicitus quidnam de
,, provinciis decernatur. Mirum me deſiderium tenet
,, Urbis, incredibile meorum, atque in primis tui:
,, ſatietas autem provinciæ: vel quia videmur eam
,, famam conſecuti, ut non tam acceſſio quærenda,
,, quam fortuna metuenda ſit: vel quia totum nego-
,, tium non eſt dignum viribus noſtris: qui majora
,, in Repub. onera ſuſtinere, & poſſimus, & ſolea-
,, mus: vel quia belli magni timor impendet, quod
,, videmur effugere ſi ad conſtitutam diem decedemus.
,, De Pantheris per eos, qui venari ſolent, agitur
,, mandato meo diligenter, ſed mira paucitas eſt, &
,, eas quæ ſunt, valde ajunt queri, quod nihil cui-
,, quam inſidiarum in mea Provincia, niſi ſibi, fiat.
,, Itaque conſtituiſſe, dicuntur, in Cariam ex noſtra
,, Provincia decedere. Sed tamen ſedulo fit, & in
,, primis a Patiſco. Quidquid erit, tibi erit, ſed
,, quid plane eſſet, neſciebamus. Mihi mehercule
,, magnæ curæ eſt ædilitas tua: ipſa dies me admone-
,, bat; ſcripſi enim hæc ipſis Megalenſibus. Tu velim
,, ad me de omni Reipub. ſtatu quam diligentiſſime
,, perſcribas: Ea enim certiſſima putabo, quæ ex te
,, cognovero.

II Quid eſt *Epiſtola Gratulatoria*?

2 Eſt *gaudii noſtri ob amici felicitatem teſtificatio*. Gratulamur Amico bona fortunæ, Magiſtratum puta, dignitatem adeptam, victoriam, hereditatem &c. Item ſalutem, & incolumitatem, ſive ſervatam, ſive recuperatam &c. In hac epiſtolarum claſſe, rei eventus, ac felicitas, gaudii noſtri magnitudo, amplificanda eſt. Merita illius, cui gratulamur efferenda, ut felicitatem, aut honorem jure aſſecutus eſſe videatur. Neque in publico munere tam ei gratulandum eſt, qui dignitatem adeptus, quam Urbi, aut Reipublicæ, quibus quidquid egerit, ſalutare, ac glo-

rioſum fore affirmabimus: Bonos omnes geſtire: ſibi perditos homines conſulere &c. Bene precari licet, ut cum dignitate, ac fama munus exerceat, vel etiam, ſi Perſonæ conditio ferat, eandem, Tulii exemplo, ad magiſtratum cum laude gerendum hortabimur. Cicero *Lib.* 15. *ep.* 8. ad Cajum Marcellum.

,, Maxima ſum lætitia affectus, quum audivi te Con-
,, ſulem factum eſſe; eumque honorem tibi Deos for-
,, tunare volo, atque a te pro tua, parentiſque tui
,, dignitate adminiſtrari. Nam quum te ſemper dile-
,, xi, amavique quod mei amantiſſimum cognovi in
,, omni varietate rerum mearum: tum patris tui plu-
,, ribus beneficiis, vel defenſus triſtibus temporibus,
,, vel ornatus ſecundis, neceſſe eſt ut ſim totus ve-
,, ſter, & eſſe debeam; quum præſertim matris tuæ
,, graviſſimæ, atque optimæ feminæ, majora erga ſa-
,, lutem, dignitatemque meam ſtudia, quam erant a
,, muliere poſtulanda, perſpexerim. Quapropter a
,, te peto majorem in modum, ut me abſentem dili-
,, gas, atque defendas. Vale.

III Quid eſt *Epiſtola gratias agens?*

3 Eſt *accepti beneficii, vel muneris, grati animi ſignificatio*. Complectitur accepti muneris commendationem; Laudem virtutis exercitæ ab eo, qui bene de nobis meritus eſt; Grati demum animi pollicitationem: Fit autem, aut primum gratias agendo, dein beneficium amplificando, & gratiam pollicendo; aut contra, merita prius exornando, dein gratias agendo, ac pollicendo. Adjuncta Perſonæ bene merentis, Perſonæ quæ beneficium retulit, ac demum beneficii ipſius ſunt fontes præcipui hujus claſſis epiſtolarum. *Cicero Lib.* 15. *ep.* 11. ad Marcellum.

,, Quantæ tibi curæ meus honor fuerit, & quam idem
,, exſtiteris conſul in me ornando, & amplificando,
,, qui fueras ſemper cum Parentibus tuis, & cum to-
,, ta domo; etſi res ipſa loquebatur; cognovi tamen
,, ex meorum omnium litteris. Itaque nihil eſt tantum,
,, quod ego non tua cauſſa debeam, facturuſque ſim,
,, cum ſtudioſe, tum libenter. Nam magni intereſt,
,, cui debeas; debere autem nemini malui, quam
,, tibi

,, tibi, cui me cum ſtudia communia, beneficia pa-
,, terna, tuaque, jam ante conjunxerant; tum acce-
,, dit, mea quidem ſententia, maximum vinculum,
,, quod ita Rempublicam geris, atque geſſiſti, quæ
,, mihi carius nihil eſt, ut quantum tibi omnes boni
,, debeant, quominus tantundem ego unus debeam,
,, non recuſem. Quamobrem tibi velim ii ſint exitus,
,, quos mereris; & quos fore confido. Ego ſi me na-
,, vigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipſos
,, Eteſias, propediem te, ut ſpero, videbo. Vale.

IV Quid eſt Epiſtola *Jocoſa?*

Eſt ingenuus, ac facetus ad Amicum ſermo. Etſi Jocus in omni epiſtolarum genere locum habeat, eſt enim nota quædam familiaritatis; ſunt tamen epiſtolæ ad jocandum conſcriptæ, in quibus ſales, ac facetiæ abundant, immo integram complectuntur orationem. In hanc Litterarum claſſem illud affero quod Tullius habet Lib. I. Officiorum: Eſt enim non opportunum modo, ſed præcipuum ad hoc ſcribendi genus præceptum: *Ludo, & joco uti, illis quidem licet, ſed ſicut ſomno, & quietibus ceteris, tum, cum gravibus, ſeriiſque rebus ſatisfecerimus: Ipſumque genus jocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum, & facetum eſſe debet. Ut enim pueris non omnem licentiam ludendi damus, ſed eam, quæ ab honeſtatis actionibus non ſit aliena, ſic in ipſo joco aliquid probi ingenii lumen eluceat. Duplex omnino eſt jocandi genus. Unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcenum. Alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum. Quo genere &c. . . . . . Facilis igitur eſt diſtinctio ingenui, & illiberalis joci: alter eſt, ſi tempore fit, ac remiſſo animo, libero dignus: alter ne homine quidem, ſi rerum turpitudini adhibetur verborum obſcenitas.* Hoc habeant Adoleſcentes, non ad epiſtolas modo hujus claſſis, ſed ad omnem eorum morem honeſte componendum, Viri, quanquam non Chriſtiani, præclariſſimum documentum. Sint igitur, liberales, ingenui, ingenioſique, non viles, aut ſcurriles joci. Delectent, non mordeant. Cicero *Lib.* 9. *ep.* 20. feſtiviſſime jocatur cum Papirio Peto. En epiſtolam.

,, Dr-

* *Sero ediſcentes.*

„ Dupliciter delectatus ſum tuis litteris, & quod ipſe
„ riſi, & quod te intellexi jam poſſe ridere. Me
„ autem a te, ut ſcurram velitem, malis oneratum
„ eſſe, non moleſte tuli. Illud doleo, in iſta loca,
„ venire me, ut conſtitueram, non potuiſſe. Habuiſ-
„ ſes enim, non hoſpitem, ſed contubernalem; at
„ quem virum? Non eum, quem tu es ſolitus pro-
„ mulſide conficere. Integram famem ad ovum affe-
„ ro: itaque ad aſſum vitulinum opera perducitur.
„ Illa mea, quae ſolebas antea laudare, o hominem
„ facilem! o hoſpitem non gravem! abierunt. Nam
„ omnem noſtram de Republica curam, cogitationem
„ de dicenda in ſenatu ſententia, commentationem
„ cauſſarum abjecimus. In Epicuri nos adverſarii no-
„ ſtri caſtra conjecimus; nec tamen ad hanc inſolen-
„ tiam, ſed ad illam tuam lautitiam; veterem di-
„ co; quum in ſumptum habebas, etſi nunquam
„ plura praedia habuiſti. Proinde te para: cum homi-
„ ne & edaci tibi res eſt, & qui jam aliquid intelli-
„ gat. Ὀψιμαθεῖς autem homines ſcis, quam inſolen-
„ tes ſint: Dediſcendae tibi ſunt ſportellae, & arto-
„ lagani tui. Nos jam ex areis tantum habemus, ut
„ Verrium tuum, & Camillum, qua munditia homi-
„ nes! qua elegantia! vocare ſaepius audeamus. Sed
„ vide audaciam: Etiam Hirtio coenam dedi, ſine
„ pavone tamen; in ea coena Coquus meus, praeter
„ jus fervens, nihil potuit imitari. Haec igitur nunc
„ eſt vita noſtra. Mane ſalutamus domi, & bonos
„ viros multos, ſed triſtes, & hos laetos victores:
„ qui me quidem perofficioſe, & peramanter obſer-
„ vant. Ubi ſalutatio defluxit, litteris me involvo,
„ aut ſcribo, aut lego. Veniunt etiam qui me au-
„ diant quaſi doctum hominem, quia paullo ſum,
„ quam ipſi doctior. Inde corpori omne tempus da-
„ tur. Patriam eluxi jam, & gravius, & diutius,
„ quam ulla mater unicum filium. Sed cura, ſi me
„ amas, ut valeas; ne ego, te jacente, bona tua co-
„ medam. Statui enim tibi ne aegroto quidem parce-
„ re. Vale.

V Quid

V Quid eſt *Epiſtola Officioſa?*

5 Eſt *operis, officiique noſtri ad Amici, aliorumque ſubſidium oblatio*. In his epiſtolis ratio, aut occaſio exponi ſolet, ex qua ad officium præbendum impellimur: Deinde officium ipſum exhibetur. Rationes ab adjunctis Perſonæ trahi poſſunt, & quæ litteras dat, & cui operam noſtram pollicemur. Cicero, pulcherrimam habet *Lib. 5. ep. 8. Quantum meum ſtudium &c.* Hanc vero, quoniam paullo longior eſt, integram afferre non vacat. Do breviorem *Lib. 10. ep. 2.*

„ Meum ſtudium honori tuo non defuiſſet pro neceſ-
„ ſitudine noſtra, ſi aut tuto in Senatum, aut hone-
„ ſte venire potuiſſem. Sed nec ſine periculo quiſ-
„ quam libere de Republica ſentiens verſari poteſt in
„ ſumma impunitate gladiorum, nec noſtræ dignitatis
„ videtur eſſe, ibi ſententiam de Republica dicere,
„ ubi me, & melius, & propius audiant armati,
„ quam Senatores. Quapropter in privatis rebus nul-
„ lum neque officium, neque ſtudium meum deſidera-
„ bis, ne in publicis quidem, ſi quid erit in quo me
„ intereſſe neceſſe ſit, nunquam deero, ne cum peri-
„ culo quidem meo, dignitati tuæ. In his rebus, quæ
„ nihilominus ut ego abſim confici poſſunt, peto a te,
„ ut me rationem habere velis, & ſalutis, & digni-
„ tatis meæ. Vale.

VI Quid eſt *Epiſtola Lamentabilis?*

6 *Eſt ejus, quod nobis adverſum acciderit, ad Amicum ſignificatio*. Mala omnia in rei alicujus amiſſione verſantur: Honoris, Fortunarum, Patriæ, Parentum, Amicorum, Valetudinis &c. Solent adverſa Amicis communicari breviter; aliquando etiam exaggerari. Petimus aut conſilium, aut levamen, ſive operis, ſive commiſerationis, & conſolationis. Pulcherrima eſt ea Ciceronis ad Dolabellam *Lib. 9. ep. 11.* in Morte Filiæ.

„ Vel meo ipſius interitu mallem litteras meas deſi-
„ derares, quam eo caſu, quo ſum graviſſime affli-
„ ctus; quem ferrem certe moderatius, ſi te haberem.
„ Nam & oratio tua prudens, & amor erga me ſin-
„ gularis multum levaret. Sed quoniam brevi tem-
„ po-

„ pore, ut opinio noſtra eſt, te ſum viſurus, ita me
„ affectum offendes, ut multum a te poſſim juvari.
„ Non quo ita ſim fractus, ut aut hominem me eſſe
„ oblitus ſim, aut fortunæ ſuccumbendum putem. Sed
„ tamen hilaritas illa noſtra, & ſuavitas, quæ te
„ præter ceteros delectabat, erepta mihi omnis eſt:
„ firmitatem tamen, & conſtantiam, ſi modo fuit ali-
„ quando in nobis, eandem cognoſces, quam reliquiſ-
„ ti. Quod ſcribis prælia te, mea cauſa, ſuſtinere:
„ non tam id laboro, ut ſi qui mihi obtrectent, a
„ te refutentur, quam intelligi cupio, quod certe in-
„ telligitur, me a te amari. Quod ut facias, te
„ etiam, atque etiam rogo: ignoſcaſque brevitati
„ mearum litterarum, nam & celeriter, una futuros
„ nos arbitror, & nondum ſatis confirmatus ſum ad
„ ſcribendum. Vale.

Aliqui addunt epiſtolarum genus *funebre*, tanquam a ſuperiori diſtinctum. Verum hoc vel idem eſt, vel ad ſuperius reducitur.

VII Quid eſt Epiſtola *Diſputatrix*?

7 *Ea eſt, in qua quæſtio aliqua agitatur*. Fit autem, aut queſtionem, propoſitis utrinque rationibus, diſcutiendo; aut ſententiam in re propoſita opportunis ad id argumentis confirmando. Demetrius hoc litterarum genus non admittit. Sunt tamen Varronis, Latinorum Veteris Scriptoris, quæſtiones per epiſtolam explanatæ. Scriptores item reſtitutæ latinitatis nonnulli, per litteras plurima agitaverunt; ut Manutius, & Politianus. Noſtro ævo graviſſimæ diſputationes ſæpe epiſtolari quadam ſcribendi ratione tractantur. Sed eæ citius Diſſertationes eruditæ appellandæ ſunt, quam nixæ litterarum præceptis Epiſtole. Diſputatrix eſt Ciceronis epiſtola, brevis quidem, *Lib. 7. ep. 22.*

„ Illuſeras heri inter ſcyphos, quod dixeram contro-
„ verſiam eſſe: poſſet ne heres, quod furtum antea
„ factum eſſet, recte furti agere. Itaque etſi domum
„ bene potus, ſeroque redieram, tamen id caput ubi
„ hæc controverſia eſt notavi, & deſcriptum tibi miſi,
„ ut ſcires id, quod tu neminem ſenſiſſe dicebas; Sex-
„ tum Ælium, Marcum Manilium, Marcum Brutum

„ ſen.

,, ſenſiſſe. Ego tamen Scævolæ, & Teſtæ aſſentior:
,, Vale.

VIII Quid eſt Epiſtola *Nuncupatoria*?

8 Eſt Epiſtola, *qua opus aliquod promulgantes, idem alicui offerimus*. Dari autem ſolent hujuſmodi epiſtolæ, Principibus, Doctiſſimis, Amiciſſimis Viris, quorum favorem aucupamur, aut tutelam operis cupimus. Solent rationes exponi cur ei viro lucubrationes noſtras potiſſimum demus. Idem laudari ſolet opportunis argumentis. Liber eidem commendatur. Operis ſeries innuitur. Hæc vero, aut omnia ſervantur, aut ex his ea, quæ ad rem conducunt, opportunius. Hujuſmodi epiſtolarum mos & Veteribus fuit, cum Poetis, tum Oratoribus. Pulcherrima eſt Catulli ad Cornelium Nepotem Epigrammatum ſuorum Donatio.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi; Namque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas
Jam tum, quum auſus es unus Italorum
Omne avum tribus explicare chartis
Doctis, Juppiter! & laborioſis.
Quare habe tibi quidquid hoc libelli &
Qualecumque: quod o Patroa virgo
Plus uno maneat perenne ſaclo.

Phædrus etiam ſingulos Fabularum ſuarum Libros, Amicis ſuis obtulit. Et Cicero, ne ab eo diſcedamus, Librum *de Senectute* ad T. Pomponium Atticum, & *Paradoxa* ad M. Brutum dedit. Videre licet ibidem nuncupatoriam ejus epiſtolam.

De Epiſtolis ad deliberativum genus ſpectantibus.

1 Quid eſt Epiſtola *Hortativa*, ſeu Suaſoria, aut Monens?

1 Eſt *Amici ad aliquid agendum cohortatio;* Hortamur autem opportunis rationibus, ab honeſto, ab utili, a facili, a neceſſario, a jucundo. Induci poſſunt exempla, aut

aut comparationes; & omnia demum argumentorum genera, quæ maxime ad ſuadendum proſunt. Cicero *Lib.* 7. *ep.* 6. ad Trebatium.

„ In omnibus meis epiſtolis, quas ad Ceſarem, aut
„ ad Balbum mitto, legitima quædam eſt acceſſio com-
„ mendationis tuæ, nec ea vulgaris, ſed cum aliquo
„ inſigni indicio meæ erga te benevolentiæ Tu mo-
„ ineptias iſtas, & deſideria Urbis, & urbanitatis de-
„ pone, & quo conſilio profectus es, id aſſiduitate
„ conſequere, & virtute. Hoc tibi tam ignoſcemus
„ nos amici, quam ignoverunt Medeæ, quæ Corin-
„ thum arcem altam habebant Matronæ opulentæ opti-
„ mates, quibus illa manibus gypſatiſſimis perſuaſit,
„ ne ſibi vitio illæ verterent, quod abeſſet a patria:
„ Nam multi ſuam rem bene geſſerunt, & publicam,
„ a patria procul; multi qui domi ætatem agerent,
„ propterea fuut improbati. Quo in numero tu certe
„ fuiſſes, niſi te extruſiſſemus. Sed plura ſcribemus
„ alias. Tu qui ceteris cavere didiciſti in Britannia,
„ ne ab eſſedariis decipiaris caveto; & quando cœ-
„ piſti agere Medeam, illud ſemper memento. Qui
„ ipſe ſibi ſapiens prodeſſe nequit, nequicquam ſapit.
„ Cura ut valeas. Vale.

II Quid eſt epiſtola *Dehortans?*

2 Eſt *Amici a concepta aliqua ſententia diſſuaſio.* Fit per eadem argumenta, quæ ſupra attulimus, contraria tamen ratione: Puta ab indecoro, ab inutili, aut pernicioſo, a difficili, a moleſto &c. Hæc epiſtolarum ſpecies (ac item ſuperior) in argumentis quibuſdam, inſinuatione indiget, quum ſcilicet, quod ſeu perſuadere, ſeu diſſuadere nitimur, minus eſt Amico jucundum. Verum de Inſinuatione in Rethoricis Præceptis agendum erit. Cicero *Lib.* 10. *ep.* 27. ad M. Lepidum,

„ Quod mihi pro mea ſumma erga te benevolentia
„ magnæ curæ eſt, ut quam ampliſſima dignitate ſis;
„ moleſte tuli, te Senatui gratias non egiſſe, quum
„ eſſes ab eo ordine ornatus ſummis honoribus. Pacis
„ inter cives conciliandæ te cupidum eſſe, lætor. Pa-
„ cem eam ſi a ſervitute ſejunges; conſules, & Reipu-

„ bli-

,, blicæ , & dignitati tuæ. Sin iſta pax perditum hominem in poſſeſſionem impotentiſſimi dominatus reſtitutura eſt : hoc animmo ſcito eſſe omnes ſanos , ut mortem ſervituti anteponant . Itaque ſapientius , meo quidem judicio , facies , ſi te in iſtam pacificationem non interpones , quæ neque Senatui , neque populo , neque cuiquam; bono probatur. Sed hæc audies ex aliis, aut certior fies litteris. Tu pro tua prudentia quid optimum factu ſit , videbis ?

III Quid eſt Epiſtola *Conſolatoria* ?

3 Eſt *marentis animi , a ratione , ac prudentia , levamen opportunum*. Ad conſolandum , decet nos primo doloris participes profiteri . Laus etiam dolentis Viri , ejus animum demerebitur. Rationes opportunæ, ac prudentes afferende , ex quibus Amici jacentem animum erigamus. Trahi poſſunt a conditione humanæ naturæ calamitatibus obnoxiæ. A fortitudine animi , quæ nos decet . A ſpe melioris fortunæ impoſterum. A Dei ſupremo arbitrio , qui omnia moderatur , & cui nobis parendum &c. Pulcra eſt Virgiliana Oratiuncula ad conſolandum , qua Æneas *Lib.* 1. ita :

O ſocii (neque enim ignari ſumus ante malorum ,)
O paſſi graviora : dabit Deus his quoque finem.
Vos & ſcyllaam rabiem , penituſque ſonantes
Acceſtis ſcopulos , vos & Cyclopea ſaxa
Experti ; Revocate animos , mæſtumque timorem
Mittite ; forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.
Per varios caſus , per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium , ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt ; illic fas regna reſurgere Trojæ.
Durate , & Voſmet rebus ſervate ſecundis.

Cicero *Lib.* 1. *ep.* 6.

,, Quæ gerantur accipies ex Pollione , qui omnibus negotiis non interfuit ſolum, ſed præfuit. Me in ſummo dolore , quem in tuis rebus capio , maxime ſcilicet conſolatur ſpes , quod valde ſuſpicor fore , ut infringatur hominum improbitas, & conſiliis tuorum Amicorum , & ipſa die , qua debilitantur cogitationes , & inimicorum , & proditorum , Facile ,, ſecun-

,, ſecundo loco me conſolatur recordatio meorum tem-
,, porum; quorum imaginem video in rebus tuis. Nam
,, etſi minore in re violatur tua dignitas, quam mea
,, ſalus afflicta ſit, tamen eſt tanta ſimilitudo, ut ſpe-
,, rem te mihi ignoſcere, ſi ea non timuerim, quæ
,, ne tu quidem unquam timenda duxiſti. Sed præſta
,, te eum, qui mihi a teneris, ut Græci dicunt, un-
,, guiculis es cognitus. Illuſtrabit, mihi crede, tuam
,, amplitudinem hominum injuria. A me omnia ſum-
,, ma in te ſtudia, officiaque expecta. Non fallam opi-
,, nionem tuam. Vale.

IV Quid eſt *Epiſtola Petitoria*?

4 Eſt *Rei alicujus ab Amico Poſtulatio*. Petimus Conſilium, Auxilium, Beneficium. Argumentis utimur fere iiſdem, in quibus hortando verſamur. Requiritur tamen ut res petita, & fieri poſſit, & æqua, & utilis ad faciendum ſit. Indicetur modus ejus faciendæ, & Remuneratio promittatur. Cicero Ciliciam Provinciam ſortitus ad Appium *Lib. 3. ep. 2.*

,, Quum & contra voluntatem meam, & præter opi-
,, nionem accidiſſet, ut mihi cum Imperio in provin-
,, ciam proficiſci neceſſe eſſet: in multis, & variis mo-
,, leſtiis, cogitationibuſque meis hæc una conſolatio oc-
,, currebat, quod neque tibi amicior, quam ego ſum,
,, quiſquam poſſet ſuccedere, neque ego ab ullo pro-
,, vinciam accipere, qui mallet eam mihi quam maxi-
,, me aptam, explicatamque tradere. Quod ſi tu quo-
,, que eandem de mea voluntate erga te ſpem habes:
,, ea te profecto nunquam fallet. A te maximopere
,, pro noſtra ſumma conjunctione, tuaque ſingulari hu-
,, manitate etiam, atque etiam peto, & quæſo, ut,
,, quibuſcunque rebus potes [potes autem plurimis]
,, proſpicias, & conſulas rationibus meis. Vides ex
,, S. C. provinciam eſſe habendam; ſi eam, quod ejus
,, facere potueris, quam expeditiſſimam mihi tradide-
,, ris: facilior erit mihi quaſi decurſus mei temporis.
,, Quid in eo genere efficere poſſis, tui conſilii eſt.
,, Ego te, quod tibi veniet in mentem mea intereſſe,
,, valde rogo. Pluribus verbis ad te ſcriberem, ſi aut
,, tua humanitas longiorem orationem exſpectaret; aut

,, id

,, id fieri noſtra amicitia pateretur; aut res verba de-
,, ſideraret, ac non pro ſe ipſa loqueretur. Hoc ve-
,, lim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis a te provi-
,, ſum eſſe intellexero magnam te ex eo, & perpe-
,, tuam voluptatem eſſe capturum. Vale.

V Quid eſt *Epiſtola Commendatitia?*

5 Eſt *qua Perſonam, aut Rem aliquam Amico commendamus*. Sub genere Petitoriæ epiſtolæ hæc ſpecies continetur; propterea in quibuſdam cum illa conſentit. Hujus tamen lex eſto. Amicum tibi eſſe eum, quem commendas, dicito. Virum probum, ac beneficiis dignum affirmato. Amicum, ac Te ipſum beneficii memorem promittito. Has plerumque partes habet Commendatitia epiſtola. Sunt tamen Ciceronis exempla, in quibus aliqua ex his deſiderantur. Cicero ad Memmium *Lib. 13. epiſt. 3.*

,, A. Fuſium, unum ex intimis meis, obſervantiſſimum,
,, ſtudioſumque noſtri, eruditum hominem, & ſum-
,, ma humanitate, tuaque amicitia digniſſimum, ve-
,, lim ita tractes, ut mihi coram recepiſti, Tam mi-
,, hi gratum id erit, quam quod gratiſſimum. Ipſum
,, præterea ſummo officio, & ſumma obſervantia tibi
,, in perpetuum devinxeris. Vale.

De Epiſtolis ad Judiciale genus pertinentibus.

I Quid eſt Epiſtola *Accuſatoria* ſeu Monitoria, Objurgans, & Exprobrans?

1 Eſt, *qua Amicum de aliquo crimine arguimus*. Querimur autem, de negligentia, tarditate, brevitate in ſcribendo; de officio prætermiſſo; de offenſione accepta, aliiſque hujuſmodi. Illud in hunc locum afferri juvat Ciceronis *de Senectute: Omnis hac in re habenda ratio, & diligentia eſt primum, ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat.* Atque hoc Amicos maxime decet. Verum & Amicitiæ læſio oſtendi poteſt, & opportunis rationibus probari; Monendus is erit, ad quem ſcribimus, ut ab hujuſmodi temperet, quibus amicitiæ leges minus con-

ſentiunt. Spectanda item Perſonæ ratio, ad quam ſcribimus. Nam Vir gravis, eruditus, potens, & auctoritate pollens, cautius objurgandus, & accuſandus eſt. Quo modo molliri poſſit objurgatio eo loco diximus, in quo de *Licentia*, figura ſententiarum, fuit ſermo. Et in Rethoricis, ubi *de Exordio*. Sit Ciceronis exemplum *Lib.* 11. *ep.* 18. ad Brutum.

„ Etſi ex mandatis, quæ Galbæ, Volumnioque ad
„ Senatum dediſti, quid timendum ſuſpicandumque
„ putares, ſuſpicabamur; tamen timidiora mandata vi-
„ debantur, quam erat dignum tua, populique Ro-
„ mani victoria. Senatus autem, mi Brute, fortis eſt,
„ & habet fortes Duces: Itaque moleſte ferebat, ſe
„ a Te, quem omnium, quicunque fuiſſet, fortiſſimum
„ judicaret, timidum, atque ignavum judicari. Ete-
„ nim quum, te incluſo, ſpem maximam omnes ha-
„ buiſſe in tua virtute, florente Antonio, quis erat,
„ qui quidquam timeret profligato illo, te liberato?
„ Nec vero Lepidum timebamus. Quis enim eſſet, qui
„ illum tam furioſum arbitraretur, ut qui in maxi-
„ mo bello pacem velle ſe dixiſſet, is in optatiſſima
„ pace bellum Reipublicæ indiceret? Nec dubito,
„ quin tu plus provideas. Sed tamen, tam recenti
„ gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum
„ templa fecimus, renovatio timoris magnam mole-
„ ſtiam afferebat. Quare velim equidem, id quod ſpe-
„ ro, ut plane abjectus, & fractus ſit Antonius: ſin
„ aliquid virium forte collegerit, ſentiet, nec ſena-
„ tui conſilium, nec populo Romano virtutem deeſſe,
„ nec Reipub. te vivo Imperatorem.

II Quid eſt Epiſtola *Excuſans*? ſeu *defendens*?

2 *Eſt illa, qua criminationibus, aut ſe ipſum aliquis, aut alium purgat*. Diluuntur enim accuſationes, vel errati negatione, vel ejuſdem diminutione, vel facti defenſione, vel argumentorum, quæ objiciuntur ſolutione. Ad hanc epiſtolæ ſpeciem ars omnis fere conducit, quæ ad Confutationem in Oratione condendam traditur; De qua in Rethoricis præceptis agemus. Cicero *Lib.* 7. *ep.* 27. ad Gallum ſe defendit paullo tamen acrius, quam fieri plerumque oporteat. „ Mi-

„ Miror cur me accuſes, quum tibi id facere non li-
„ ceat. Quod ſi liceret, tamen non debebas. Ego e-
„ nim Te, inquis, in Conſulatu obſervaram, & ais
„ fore, ut Te Cæſar reſtituat. Multa tu quidem di-
„ cis, ſed tibi nemo credit. Tribunatum plebis di-
„ cis te mea cauſſa petiſſe. Utinam ſemper eſſes Tri-
„ bunus: interceſſorem non quæreres. Negas me au-
„ dere, quod ſentiam, dicere: quaſi tibi, quum pa-
„ rum prudenter me rogares, parum fortiter reſpon-
„ derim. Hæc tibi ſcripſi, ut iſto ipſo in genere,
„ in quo aliquid poſſe vis, te nihil eſſe cognoſceres.
„ Quod ſi humaniter mecum queſtus eſſes, libenter ti-
„ bi me, & facile purgaſſem. Non enim mihi ingra-
„ ta ſunt, quæ feciſti, ſed quæ ſcripſiſti, moleſta.
„ Me autem, propter quem ceteri liberi ſunt, tibi li-
„ berum non viſum demiror. Nam ſi falſa fuerunt,
„ quæ tu ad me, ut ais, detuliſti: quid ego tibi de-
„ beo? ſin vera, tu es optimus teſtis, quod mihi Po-
„ pulus Romanus debeat. Vale.

Ad hanc claſſem pertinent epiſtolæ *Apologeticæ*, quibus videlicet opera ſua docti Viri, a cenſuris vindicant, aut vindicare nituntur. Exemplo eſſe poteſt aliquo modo ſuperius allata Epiſtola.

De Narrationibus generatim.

I Quid eſt *Narratio?*

Narratio *eſt rei geſtæ, vel ut geſtæ expoſitio.*

II Cur ita definitur?

1 Quia Narrationum, aliæ veritatem, aliæ commentum continent; ſeu Narrationum aliæ *veraces* ſunt, aliæ *fictitiæ*. Veraces ſunt *rei geſtæ*: ideſt rei, quæ vere peracta eſt, expoſitio. Fabuloſæ autem, *rei ut geſtæ*, videlicet rei, quæ ad inſtar veræ fingitur, *compoſitio*.

2 Veraces Narrationes, aliæ ſunt *Forenſes*; Aliæ *non forenſes*. Primæ pertinent ad genus Judiciale, de quibus erit ſermo in partitionibus Oratoriis. Secundæ vel *hiſtoricæ* ſunt, vel *exornativæ*, de quibus inferius in hac parte diſſerendum eſt.

3 Fictitiæ Narrationes dividuntur in *Argumentum*, & *Fabulam*. *Argumentum eſt ficta res, quæ tamen fieri potuit*. Ita Herennianus Auctor definit. Hoc eſt genus illud fabulæ, quod Poeſi convenit Epicæ potiſſimum, & Dramaticæ. De ſimplici Fabula paullo poſt multa diſtincte tTrademus.

III Quænam ſunt cuiuslibet *Narrationis virtutes*?

1 *Tres*, inquit Rhetor ad Herennium, *convenit res habere narrationem: ut brevis, ut dilucida, ut veriſimilis*.

2 *Brevis* eſt: ſi inde narrare incipiat, unde neceſſe ſit, propterea non *gemino* rem exordiatur *ab ovo*, ut ajebat Horatius.

Si ſummatim, non particulatim omnia exponat; id eſt opportuna inducat, ſuperflua rejiciat, & nihil repetat.

Si non ad extremum, ſed uſque eo, quo opus erit, rem proſequatur.

Vult etiam Herennianus Rhetor, nullis nos uti tranſitionibus, ut brevitati conſulatur magis. Cavendum tamen, quod Quintilianus monet, ne Narratio undique præciſa, non tam Narratio vocari poſſit, quam confuſio. Exemplum ſuperfluæ, ac prolixæ narrationis eſt illud. *Athenis Megaram veſperi advenit, ubi advenit Megaram inſidias fecit, inſidias poſtquam fecit, vim in loco attulit*.

3 *Dilucida* fiet: Si temporum, & rerum ordo ſervetur, propterea ne quid turbate, aut præpoſtere exponatur.

Si nihil ambigue, nihil interrupte dixeris.

Si demum ea exſequaris omnia, quæ de *Perſpicuitate* ſuperius præcepta ſunt.

4 *Veriſimilis* Narratio erit, ſi omnia moribus, opinioni, naturæ, adjunctis rerum, Perſonarum, locorum, temporumque conveniant.

Hoc & fabuloſæ narrationes expetunt: ut *ficta voluptatis cauſſa ſint proxima veris*. Non enim Agnus vafer, Vulpes ſtolida, Lepus audax veri ſimilitudinem habent ullam.

De Fabula.

I Quid eſt *Fabula*?

Eſt ad veritatem ſignificandam ficta narratio. Significat

ficat hæc definitio inſtitutam eſſe fabulam, non ut veritatem narret, ſed ut veritatem doceat moribus utilem.

II Quotuplex eſt Fabula?

1 Dividitur Fabula in *Rationalem*, *Moralem*, *&* *Mixtam*.

2 *Rationalis* dicitur quæ facta, aut dicta Hominum effingit ad mores inſtituendos. Hujuſmodi multæ ſunt apud Phædrum. Unam affero (*a*)

Duo Calvi.

Invenit Calvus forte in trivio pectinem.
Acceſſit alter, æque defectus pilis.
Eja, inquit, in commune quodcunque eſt lucri.
Oſtendit ille prædam, & adjecit ſimul:
Superum voluntas favit; ſed fato invido,
Carbonem, ut ajunt, pro theſauro invenimus.
Quem ſpes deluſit huic querela convenit.

3 Idem ne eſt *Rationalis Fabula*, ac Parabola?

Id quidem nonnulli tenent. Verum puto *Parabolam* in eo quidem cum morali fabula convenire, quod nos ex Perſonarem dictis, factiſve inſtituat: in eo tamen differre, quod ex veris aliquando Hominum geſtis componatur. Tales in Evangelio cenſentur *de Divite*, *&* *Lazaro*, *de Filio Prodigo*, *de Viatore a Latronibus caſo*, *&* *Homine Samaritano*.

4 *Moralis* Fabula ea eſt, quæ *ratione carentibus utitur ad hominem informandum*. In ea Belvæ, Arbores, Lapides, & ſi quæ magis inertia ſunt, agentia, aut loqnentia fiunt. Hæc eſt ea proprie fabula, quam Herrennianus Scriptor, de quo ſupra, definit: *Fabula eſt, quæ neque veras, neque veriſimiles continet res*. Hanc pariter *Apologum dicunt*. Talis ea Phædri (*b*)

Milvus, & Columbæ.

Columbæ ſæpe quum fugiſſent Milvum
Et celeritate pennæ vitaſſent necem,
Conſilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo.
Quare ſollicitum potius ævum ducitis,
Quam me creatis icto Regem fœdere,

[*a*] *Lib. 5. n. 6.* (*b*) *Lib. 1. n. 31.*

Qui vos ab omni tutas præſtem injuria ?
Illa credentes tradunt ſe ſe Milvo,
Qui regnum adeptus, cœpit veſci ſingulas,
Et exercere imperium ſævis unguibus.
De reliquis tunc una : Merito plectimur.

5 *Mixta* fabula eſt, qua homines cum brutis agere, & ſermocinari narramus. Phædrus hanc quoque dabit pro exemplo *(a)*.

Muli duo, & Latrones.

Muli gravati ſarcinis ibant duo.
Unus ferebat ſiſcos cum pecunia,
Alter tumentes multo ſaccos hordeo.
Ille onere dives celſa cervice eminens,
Clarumque collo jactans tintinnabulum :
Comes quietus ſequitur, & placido gradu.
Subito Latrones ex inſidiis advolant,
Interque cædem ferro Mullum truſitant :
Diripiunt nummos : negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur caſus quum fleret ſuos ;
Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo ;
Nam nihil amiſi, nec ſum læſus vulnere.
Hoc argumento tuta eſt hominum tenuitas.
Magno periclo ſunt opes obnoxiæ.

III. Habet ne *Fabula* ſuam utilitatem ?

Multam ſane. Nam delectat, & recreat feſſos aliquando Auditores, eorumque animos exacuit. Illud eſt celeberrimum de Demoſthene, qui Athenienſibus, in audiendo res ceteroquin graviſſimas oſcitantibus, hanc de Aſini umbra fabellam narrare inſtituit.

Adoleſcens æſtivo tempore Athenis Megaram profecturus Aſellum conduxit, quem pone Agaſo ſequebatur. Sed quum multum itineris confeciſſent, ſolque ad meridiem ferveret maxime, Juvenis, qui æſtum diutius ferre non poſſet, pronum ſub Aſelli ventrem ſe dedit, cujus umbra protegeretur. Agaſo non minus æſtuans, juvenem perturbare, & ejicere : Aſinum ſe, non Aſini umbram locaviſſe. Juvenis contra ; cum Aſino, neque enim ſine umbra corpus, & Aſini umbram conduxiſſe affirmabat....

Hæc

(a) *Lib. 2. n. 7.*

Hæc inter: arrectæ omnium aures, & mira omnium attentio excitata: quod quum Demoſtenes animadvertiſſet, tum ſe interrupta narratione diſceſſurum finxit. Inſtare Athenienſes ut rem perficeret. Quibus ille. *Itane vero* [mutata voce] *de Aſini*, inquit, *umbra audire vultis*; *de rebus Reipublicæ graviſſimis*, *audire non vultis*? Ea reprehenſione commoti animi, & ad ſummam in audiendo alacritatem perducti.

Docet etiam, & monet fabula. Atque eo ad docendum, ac movendum eſt aptior, quo ſuavius ſub ficta rerum imagine veritatem inſinuat. Apologus ille celeberrimus *De ventre & membris humani corporis*, plebis Romanæ ſeditionem compoſuit teſte Livio. Immo ex Sacris Libris Apologorum uſus, atque utilitas probatur magis, ut *Judic. cap. 9. & 4. Reg. 14.*

De Hiſtoricis, ornatiſque Narrationibus.

I QUid eſt *Hiſtorica* Narratio?

Ea eſt quæ res geſtas exponit ab ætatis noſtræ memoria remotas. Ita Cornificius. Hoc tamen non eo dictum quod res, quibus interſumus conſignatæ litteris, hiſtoriæ cenſendæ non ſint; ſed illud, finem hiſtoriæ reſpicit, ut res ſcilicet etiam ab ætate noſtra remotæ, beneficio hiſtoriæ cognoſcantur. Nam niſi nos ea, quæ ætate noſtra accidunt, litteris tradiderimus, profecto qui ab ætate noſtra remoti erunt, eas reſcire omnino non poterunt.

II Quotuplex eſt *Hiſtoria*?

1 Ratione rerum, de quibus agit dicitur univerſalis; Peculiaris, Sacra, Profana, Philoſophica, Metallica: Alia multarum gentium: Alia unius gentis, aut Perſonæ, vel etiam unius facti notitiam præbet.

2 Hiſtoriæ quædam ſpecies, Annales ſunt, & Ephemerides. Res ſcilicet per ſingulos annos, aut dies peractæ, & ad conſulendum poſteritati conſcriptæ.

III Quænam hiſtoricæ Narrationes exercitationi Adoleſcentum ſunt opportunæ.

Breves quædam, facti potiſſimum alicujus elegantis, aut illu-

illuſtris. De his Quintilianus (a) *Narrationes ſtilo componi, quanta maxima poſſit adhibita diligentia vo o.*

IV Quænam utilitas ab hujuſmodi exercitatione?

Eam Quintilianus maximam cenſet, non modo ut ſtilum exerceant Juvenes, verum etiam, ut res ordinate dicere, & connectere incipiant. Propterea ad aliquam integræ Orationis partem accedunt; hujuſmodi enim Narrationes, ex Herenniano Rhetore, aut *digreſſionis, aut criminationis, aut ſimilitudinis, aut delectationis non aliena a negotio, aut amplificationis gratia, interponuntur.* Vel etiam extra quamcunque cauſſam, ut idem monet, ad delectationem *non inutili cum exercitatione*, dicuntur, & ſcribuntur:

V Quænam ſunt præclara Narrationum hujuſmodi ornamenta?

1 *Aptæ ſententiæ, Locutiones pulchræ, Verba propria, & exprimentia.*

2 *Figuræ quædam opportunæ, ac in narrando uſitatæ.*

VI Quænam ſunt hujuſmodi figuræ?

Aliæ conſtructionis figuræ ſunt, aliæ ornatus.

2 *Conſtructionis* duæ potiſſimum familiares Narrationi ſunt. *Ennalage*, & *Ecclipſis*.

3 *Ennalage* eſt figura immutationis, quæ in Narratione locum habet præcipuum, nam *Modus pro modo*, *Tempus pro tempore* plerumque immutatur. Præcipue vero infinitivus pro Præterito ſive perfecto, ſive imperfecto; Tempus Præſens pro Præterito adhibetur. Tale apud Cæſarem *de Bello Gallico — Ubi vineis actis, aggere exuſto, turrim conſtitui procul viderunt, primum irridere ex muro, atque increpitare vocibus &c.* ideſt *irridebant, increpitabant &c.* & apud Virgilium [b]

Vix ea fatus erat, quum circumfuſa repente
Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum.

vel illud ejuſdem (c)

Anchora fundabat naves, & littora curvæ
Prætexunt puppes. En tempus præſens pro præterito.

4 *Ecclipſis* eſt figura detractionis, unde aliqua prætermittitur Orationis particula, quæ facile ſubauditur: Virgilius [d]

Utque

(a) *Lib. 2. cap. 4.* (b) *Aen. 2.* [c] *Aen. 6.* (d) *Aen. 8.*

Utque acres concuſſit equos, utque impulit arma
Extemplo turbati animi: Subaudi *ſunt*. & illud.
.... *Quærenti talibus, ille*
Suſpirans imoque trahens e pectore vocem:
O Dea &c.

Subintellige, *inquit*. Sed hoc tam crebrum eſt, ut exempla afferre ſupervacaneum ſit.

5 *Ornatus* figuræ Narrationi familiares ſunt. *Deſcriptio, ſuſpenſio, ſuſtentatio, exclamatio, communicatio, epiphonema, proſopopeja, & ſermocinatio*, de quibus alibi. Sint quædam ex Tullio optimarum Narrationum exempla.

De Verre, & ejus ad rapiendum Antiochi Candelabrum aſtutia [*d*]

I Regem ad cœnam vocavit: exornat ample, magnificeque triclinium: exponit ea, quibus abundabat, plurima, ac pulcherrima vaſa argentea; namque hæc aurea nondum fecerat, omnibus curat rebus inſtructum, & paratum ut ſit convivium. Quid multa? Rex ita diſceſſit, ut & iſtum copioſe ornatum, & ſe honorifice acceptum arbitraretur. Vocat ad cœnam deinde ipſe Prætorem: exponit ſuas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro: quæ, ut mos eſt regius, & maxime in Syria, gemmis erant diſtincta clariſſimis. Erat etiam vas vinarium ex una gemma prægrandi, trulla excavata, cum manubrio aureo; da qua credo, ſatis idoneum, ſatis gravem teſtem Q. Minutium dicere audiſtis. Iſte unumquodque vas in manus ſumere, laudare, mirari: rex gaudere, prætori populi R. ſatis jucundum, & gratum illud eſſe convivium. Poſteaquam inde diſceſſum eſt, cogitare iſte nihil aliud, quam id, quod ipſa res declaravit, quemadmodum regem ex provincia ſpoliatum, expilatumque dimitteret. Mittit rogatum vaſa ea, quæ pulcherrima apud illum viderat: ait ſe ſuis cælatoribus velle oſtendere. Rex, qui iſtum non noſſet, ſine ulla ſuſpicione libentiſſime dedit. Mittit etiam trullam gemmeam rogatum, velle eam ſe diligentius conſiderare. Ea quoque ei mittitur. Nunc reliquum, judices, attendite, de quo & vos audiſtis, & populus R. non nunc primum,

[*a*] *Act. 5. in Verr.*

audiet, & in exteris nationibus uſque ad ultimas terras pervagatum eſt. Candelabrum e gemmis clariſſimis, opere mirabili perfectum, Reges hi, quos dico, Romam quum attuliſſent, ut in Capitolio ponerent; quod nondum etiam perfectum templum offenderant, neque ponere, neque vulgo oſtendere, ac proferre voluerunt; ut & magnificentius videretur, cum ſuo tempore in cella Jovis Optimi maximi poneretur; & clarius, quum pulcritudo ejus recens ad oculos hominum, atque integra perveniret. Statuerunt id ſecum in Syriam reportare, ut, quum audiſſent ſimulacrum Jovis Optimi Maximi dedicatum, legatos mitterent, qui cum ceteris rebus illud quoque eximium, atque pulcherrimum donum in Capitolium afferrent. Pervenit res ad iſtius aures neſcio quo modo: nam rex id celatum voluerat: non quo quidquam metueret, aut ſuſpicaretur, ſed ut ne multi illud ante perciperent oculis, quam populus R. Iſte petit a rege, & eum plurimis verbis rogat, ut id ad ſe mittat: cupere ſe dicit inſpicere, neque ſe aliis videndi poteſtatem eſſe facturum. Antiochus, qui animo & puerili eſſet, & regio, nihil de iſtius improbitate ſuſpicatus eſt: imperat ſuis, ut id in Prætorium involutum quam occultiſſime deferrent: quo poſtea quam attulerunt, involucriſque rejectis conſtituerunt; iſte clamare cœpit, dignam rem eſſe regno Syriæ, dignam regio munere, dignam Capitolio: etenim erat eo ſplendore, qui ex clariſſimis, & plurimis gemmis eſſe debebat; ea varietate operum, ut ars certare videretur cum copia; ea magnitudine, ut intelligi poſſet, non ad hominum apparatum, ſed ad ampliſſimi templi ornamentum eſſe factum. Quod quum ſatis jam perſpexiſſe videretur, tollere incipiunt, ut referrent. Iſte ait, ſe velle illud etiam atque etiam conſiderare; nequaquam ſe eſſe ſatiatum. Jubet illos diſcedere, & candelabrum relinquere: ſic illi tum inanes ad Antjochum revertuntur. Rex primo nihil metuere, nihil ſuſpicari: dies unus, alter, plures: non referri. Tum mittit Rex ad iſtum, ſi ſibi videatur, ut reddat. Jubet iſte poſterius ad ſe reverti. Mirum illi videri. Mittit iterum. Non redditur. Ipſe hominem appellat: rogat, ut reddat. Os hominis, inſignemque impudentiam cognoſcite. Quod ſciret, quodque ex ipſo rege audiſſet in Capitolio

eſſe

eſſe ponendum, quod Jovi Optimo Maximo, quod populo R. ſervari videret, id ſibi ut donaret rogare, & vehementer petere cœpit. Quum ille ſe & religionis Jovis Capitolini, & hominum exiſtimatione impediri diceret, quod multæ nationes teſtes eſſent illius operis, ac muneris: iſte homini minari acerrime cœpit. Ubi videt eum nihilo magis minis, quam precibus permoveri, repente hominem de provincia jubet ante noctem decedere: ait ſe comperiſſe, ex ejus regno piratas in Siciliam eſſe venturos. Rex maximo conventu Syracuſis, in foro, ne quis forte me in crimine obſcuro verſari, atque effingere aliquid ſuſpicione hominum arbitretur, in foro, inquam, Syracuſis flens, ac Deos hominesque conteſtans clamare cœpit, candelabrum factum e gemmis, quod in Capitolium miſſurus eſſet, quod in templo clariſſimo, populo R. monumentum ſuæ ſocietatis, amicitiæque eſſe voluiſſet: Id ſibi C. Verrem abſtuliſſe.

De Diogene [a]

Cum ab Amicis rogaretur Diogenes ubi vellet humari. Projicite me, inquit, inhumatum. Tum Amici: Volucribus ne, an feris? Minime vero, inquit; ſed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Qui poteris? Illi; non enim ſenties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil ſentienti?

De Scipione Naſica, & Ennio (b)

Scipio Naſica quum ad Poetam Ennium veniſſet, eique ab oſtio quærenti Ennium, ancilla dixiſſet domi non eſſe: Naſica ſenſit illam domini juſſu dixiſſe, & illum intus eſſe. Paucis poſt diebus, quum ad Naſicam veniſſet Ennius, & eum a janua quæreret, exclamat Naſica ſe domi non eſſe. Tum Ennius. Quid, ego non cognoſco vocem, inquit tuam? Hic Naſica: Homo es impudens: ego quum te quærerem ancillæ tuæ credidi domi non eſſe: tu mihi non credis ipſi? *Alia eſt pulcherrima Narratio* Lib. 3. de Off. *Cajus Canninius Eques Romanus, nec infacetus &c. Alia in Verrinis* de ſigno Dianæ ſublato, *ſatis excellens. Sunt alia plurima apud Cæſarem, ac Livium, quas Magiſtrorum ſolertia, ac diligentia Diſcipulorum quærere, explanare, figurare, & imitari ſtudebit.*

HU-

(a) *Tuſc. Quæſt. lib.* 1. (b) *Lib.* 2. *de Orat.*

HUMANIORUM INSTITUTIONUM
LIBER QUARTUS.

De quibuſdam Exercitationibus ad ornandum, & amplificandum idoneis.

De Deſcriptionibus.

Docuimus ſecundo libro quid generatim Deſcriptionis nomine intelligatur. Sed quoniam Deſcriptio quoddam potius amplificationis genus eſt, quam figuræ, de ea hoc loco diſtincte agimus. Quum autem de pluribus ejuſdem ſpeciebus acturi ſumus, tum præclara earundem exempla ex probatiſſimis Auctoribus proponemus.

1 Quot ſunt, & quænam *Deſcriptionis ſpecies?*

Sex afferuntur, quarum nomina, & diſcrimina ea ſunt, quæ ſequenti indiculo exponimus.

Hypotypoſis		Rei alicujus
Ethopeja		Animi, & affectuum
Proſographia	*ſeu Deſcriptio*	Perſonæ, ab exteriori figura; & animantium ratione carentium.
Somatopeja		Fictæ Perſonæ
Topographia		Loci
Cronographia		Temporis

II A quibus potiſſimum locis ſumuntur deſcriptiones?

Ab omnibus ferme duduci poſſunt. Trahuntur tamen præcipue *ab Adjunctis. A cauſſis, & effectis. Ab Antecedentibus, & conſequentibus*; & ab *Enumeratione*.

III Quodnam eſt pretium maximum deſcriptionis?

4 Illud eſt, ut res fiat maxime evidens, & ita verbis rerum imago pingatur, ut non ea ſpectantium oculis clarior fuiſſe videatur.

Hypo-

Hypotypoſis exempla ex Tullio.

De Damocle Regali menſa donato a Dionyſio Tyranno (a).

QUum quidam ex ejus aſſentatoribus Democles commemoraret in ſermone copias ejus, opes, majeſtatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque unquam beatiorem, quendam fuiſſe: viſne igitur, inquit, Damocles, quoniam hæc te vita delectat, ipſe eandem deguſtare, & fortunam experiri meam? Quum ſe ille cupere dixiſſet, collocari juſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo, magnificis operibus picto, abacoſque complures ornavit argento, auroque cælato. Tum ad menſam eximia forma pueros delectos juſſit conſiſtere, eoſque nutum ejus intuentes, diligenter miniſtrare. Aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores; menſę conquiſitiſſimis epulis extruebantur. Fortunatns ſibi Damocles videbatur &c.

Verris luxurioſa, ac mollis vivendi ratio (b)

Itinerum primum laborem, qui vel maximus eſt in re militari, Judices, & in Sicilia maxime neceſſarius, accipite quam facilem ſibi iſte, & jucundum, ratione, conſilioque reddiderit. Primum temporibus hibernis ad magnitudinem frigorum, & tempeſtatum vim, ac imbrium, præclarum ſibi hoc remedium comparat. Urbem Syracuſas elegerat: cujus hic ſitus, atque hæc natura eſſe loci, cælique dicitur, ut nullus unquam dies tam magni, turbulentaque tempeſtate fuerit, quin aliquo tempore ſolem ejus diei homines viderent. Hic ita vivebat iſte bonus Imperator hibernis menſibus, ut eum non facile non modo extra tectum, ſed ne extra lectum quidem, quiſquam videret. Ita diei brevitas conviviis, noctis longitudo flagitiis conterebatur. Quum autem ver eſſe cœperat, cujus initium iſte, non a Favonio, neque ab aliquo aſtro notabat, ſed quum roſam videret, tunc incipere ver arbitrabatur; dabat ſe labori, atque itineribus: in quibus uſque eo ſe præbebat patientem, atque impigrum, ut eum

(a) *Tuſcul. lib.* 5. (b) *Act.* 6. *in Verr.*

eum nemo unquam in equo ſedentem videret. Nam, ut mos fuit Bithyniæ Regibus, lectica octophoro ferebatur: in qua pulvinus erat perlucidus, melitenſi roſa fartus. Ipſe autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares ſibi admovebat tenuiſſimo lino, minutiſque maculis, plenum roſæ. Sic confecto itinere, quum ad aliquod oppidum venerat, eadem lectica uſque in cubiculum deferebatur. Eo veniebant Siculorum Magiſtratus, veniebant equites Romani &c.

Verris Convivia (a)

Erant autem convivia non illo ſilentio prætorum, atque Imperatorum, neque eo pudore, qui in magiſtratuum conviviis verſari ſolet, ſed cum maximo clamore, atque convicio: nonnunquam etiam res ad manus, atque ad pugnam veniebat. Iſte enim, prætor ſeverus, ac diligens, qui populi R. legibus nunquam paruiſſet, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur obtemperabat. Itaque erant exitus ejuſmodi, ut alius inter manus e convivio, tanquam e prælio, auferretur, alius tanquam occiſus relinqueretur, plerique fuſi ſine mente, ac ſine ullo ſenſu jacerent; quivis, ut aſpexiſſet, non ſe Prætoris convivium, ſed ut Cannenſem pugnam nequitiæ, videre arbitraretur. Quum vero æſtas ſumma eſſe jam cœperat, quod tempus &c.

Convivium luxurioſum (b)

Videbatur videre alios intrantes, alios vero exeuntes; quoſdam ex vino vacillantes, quoſdam heſterna potatione oſcitantes. Verſatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis. Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium.

Deſcriptio prorſus evidens. *Quid plus videret, qui intraſſet?* ſubdit Fabius.

Similis Deſcriptio [c]

At quam multos dies in ea villa turpiſſime perbaccatus? Ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. . . . . Perſonabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes &c.

Pom-

[a] *Ibidem.* (b) *Apud Quintil. Lib. 8. c. 3.*
[c] *Philipp. 2.*

Pompeii Caſtra ex Caſare [a]

In caſtris Pompeji videre licuit triclinia ſtrata, magnum argenti pondus expoſitum, recentibus ceſpitibus tabernacula conſtrata, L. etiam Lentuli, & nonnullorum tabernacula protecta edera; multaque præterea, quæ nimiam luxuriam, & victoriæ fiduciam deſignarent; ut facile æſtimari poſſet nihil eos de eventu ejus diei timuiſse, qui non neceſſarias conquirerent voluptates &c.

Cyclopes Virgiliani (b)

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro
Bronteſque Steropeſque, & nudus membra Pyracmon
. . . . .
. . . . alii ventoſis follibus auras
Accipiunt, redduntque: alii ſtridentia tingunt
Æra lacu, gemit impoſitis incudibus antrum.
Illi inter ſe ſe multa vi brachia tollunt
In numerum: verſantque tenaci forcipe maſſam.

Præter hæc plurima habentur Hypotypoſis exempla pulcherrima.

Antonii prodigalitas. *Philipp.* 2.
Verris iter per Provinciam. *Act;* 6.
Equus Mezentii. *Aen.* 10.
Dædalus, & Icarus. *Ovid. Metam. lib.* 8.
Baucis, & Philæmon, *Apud eundem.*

Ethopejæ exempla.

Hannibalis Indoles ex Livio (c)

Plurimum audaciæ ad pericula capeſſenda: plurimum conſilii intet ipſa pericula erat (*Hannibali*) Nullo labore, aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris, ac frigoris patientia par . . . . . Princeps in prælium ibat, ultimus conſerto prælio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant; inhumana crudelitas; perfidia pluſquam punica; nihil veri, nihil ſancti, nullus Deorum metus, nullum jusjurandum, nulla religio. *Sem-*

(a) *Coment. de bello civil. l.* 3. (b) *Aen.* 8.
(c) *Decad.* 1. *l.* 21.

Sempronia. Ex Saluſtio [a]

In his (*Conjuratis*) erat Sempronia, quæ multa ſepe virilis audaciæ facinora commiſerat. Hæc mulier genere, atque forma, præterea viro, atque liberis fortunata fuit: litteris græcis, & latinis docta: pſallere, & ſaltare elegantius, quam neceſſe eſt probæ: multa alia, quæ inſtrumenta luxuriæ ſunt, ſed ei cariora ſemper omnia, quam decus, atque pudicitia fuit. Pecuniæ an famæ minus parceret haud facile diſcerneres &c.

Dido inſaniens. Ex Virgilio [b]

At non infelix animi Phœniſſa: nec unquam
Solvitur in ſomnos, oculiſve, aut pectore noctem
Accipit: ingeminant curæ, rurſuſque reſurgens
Sævit amor; magnoque irarum fluctuat æſtu.

Turnus dum fictam Eneæ ſpeciem inſequitur navi ſubductus (c)

Quum Turnum medio interea fert æquore turbo,
Reſpicit ignarus rerum, ingratuſque ſalutis,
Et duplices cum voce manus ad ſidera tendit:
Omnipotens genitor, tanto me crimine dignum
Duxiſti? & tales voluiſti expendere pœnas?
Quo feror? unde abii? quæ me fuga, quemve reducet?
Laurentes ne iterum muros, aut caſtra videbo?
Quid manus illa Virum, qui me, meaque arma ſecuti?
Quoſque, nefas, omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumque cadentum
Accipio. Quid agam? aut quæ jam ſatis ima dehiſcat
Terra mihi? Vos o potius miſereſcite venti.
In rupes, in ſaxa, volens vos Turnus adoro,
Ferte ratem: ſæviſque vadis immittite Syrtis,
Quo neque me Rutuli, neque conſcia fama ſequatur.
Hæc memorans animo, nunc huc, nunc fluctuat illuc:
An ſe ſe mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, & crudum per coſtas exigat enſem:
Fluctibus an jaciat mediis, & litora nando
Curva petat, Teucrumque iterum ſe reddat in arma.

Eto-

(a) *de bello Cat. c.* 25. [b] *Aen.* 4. (c) *Aen.* 10.

Ethopeja exempla ſunt alia:
Catilinæ mores. *Apud Tull. pro Cœlio*.
Ejuſdem *apud Salluſtium*.
Mezentius in pugnam properans *Aen.* 10.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Proſographia exempla.

Gabinii Conſulis ſpecies ex Tullio [a]

PRimum proceſſit, qua auctoritate Vir? vini, ſomni, ſtrupi plenus, madenti coma, compoſito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce, & temulenta .... quem præteriens quum incultum, horridum, mæſtumque vidiſses, etiam ſi agreſtem, & inhumanum exiſtimares, tam libidinoſum, & perditum non dubitares. Cum hoc homine, aut cum ſtipite Æthiope ſi in foro conſtitiſſes, nihil crederes intereſse: ſine ſenſu, ſine ſapore, elinguem, tardum, humanum, neglectum, Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres.

Calphurnii imago [b]

Conſul ipſe parvo animo, & pravo, tantum cavillator genere illo moroſo, quod etiam ſine dicacitate ridetur, facie magis, quam facetiis ridiculus: a quo nihil ſperes boni Reipublicæ, quia non vult; nihil metuas mali, quia non audet.

Turnus agmen ducens, ex Virgilio (c)
Ipſe inter primos praſtanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.
Cui triplici crinita juba galea alta Chimaram
Suſtinet, athnaos efflantem faucibus ignes,
Tam magis illa fremens, & triſtibus effera flammis,
Quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugna,
At levem clypeum ſublatis cornibus Io
Auro inſignibat, jam ſetis obſita, jam bos,
Argumentum ingens, & cuſtos Virginis Argus
Calataque amnem fundens pater Inacus urna.
Inſequitur nimbus peditum &c.

[a] *Poſt Red. ad Quir.* [b] *Ad Atticum.*
(c) *Aen.* 7.

Serpentes Laocoontem petentes *(a)*

Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta,
Horreſco referens, immenſis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubaque
Sanguinea, exſuperant undas: pars cetera pontum
Pone legit, ſinuatque immenſa volumine terga.
Fit ſonitus ſpumante ſalo; jamque arva tenebant.
Ardenteſque oculos ſuffecti ſanguine, & igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Proſographia alia exempla ſunto.

Evander. *Aen.* 8.
Dido Venatrix. *Aen.* 4.
Camilla. *Aen.* 7.

Somatopeja Exempla.

Hæc Deſcriptio Poetarum magis eſt, quam Oratorum; propterea ab illis exempla ducimus.

Fama ex Virgilio *(b)*

Fama malum, quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.
Parva metu primo: mox ſe ſe attollit in auras.
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens ira irritata Deorum
Extremam (ut perhibent) Cao, Enceladoque ſororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis,
Monſtrum horrendum, ingens], cui quot ſunt corpere plumæ.
Tot vigiles oculi ſubter [mirabile dictu]
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures,
Nocte volat cæli medio, terraque per umbram
Sridens, nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes,
Tam ficti, pravique tenax, quam nuntia veri.

Alecto, ex eodem [*c*]

Luctificam Alecto dirarum ab ſede ſororum
Inferniſque ciet tenebris, cui triſtitia bella,
Iraque, inſidiæque, & crimina noxia cordi,

Odit

(*a*) *Aen* 2. (*b*) *Aen.* 4. [*c*] *Aen.* 7.

Odit & ipſe Pater Pluton, odere ſorores
Tartareæ monſtrum: tot ſe ſe vertit in ora:
Tam ſæva facies, tot pullulat atra colubris.

Charon, ex eodem [a]

Portitor has horrendus aquas, & flumina ſervat
Terribili ſquallore Charon, cui plurima mento
Canities inculta jacet; ſtant lumina flamma:
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipſe ratem conto ſubigit, veliſque miniſtrat,
Et ferruginea ſubvectit corpora cymba
Jam ſenior, ſed cruda Deo, viridiſque ſenectus.

Scylla eodem auctore [b]

At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris
Ora exertantem, & naves in ſaxa trahentem:
Prima hominis facies, & pulchro pectore Virgo
Pube tenus: poſtrema immani corpore Piſtrix
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.

Tybris (c)

Huic Deus ipſe loci fluvio Tyberinus ameno
Populeas inter ſenior ſe attollere frondes
Viſus; eum tenuis glauco velabat amictu
Carbaſus, & crines umbroſa tegebat arundo.

Fames ex Ovidio (d)

Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore
Labra incana ſitu, ſcabri rubigine dentes
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent,
Oſſa ſub incurvis exſtabant arida lumbis
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, & a ſpina tantummodo crate teneri,
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

[a] *Aen.* 6. (b) *Aen* 3. (c) *Aen.* 8.
(d) *Metam. lib.* 8.

Topographiæ exempla.

Syracuſarum Deſcriptio (a)

URbem Syracuſas maximam eſſe græcarum urbium, pulcherrimamque omnium ſæpe audiſtis. Eſt, Judices, ita ut dicitur. Nam & ſitu eſt quum munito, tum ex omni aditu, vel terra, vel mari præclaro ad adſpectum, & portus habet prope in ædificatione, adſpectumque urbis incluſos, qui quum diverſos inter ſe aditus habeant, in exitu conjunguntur, & confluunt. Eorum conjunctione pars oppidi, quæ appellatur inſula, mari disjuncta, anguſto ponte rurſum adjungitur, & continetur. Ea tanta eſt urbs, ut ex quatuor urbibus maximis conſtare dicatur, quarum una eſt ea, quam dixi inſula, quæ duobus portubus cincta, in utriuſque portus oſtium, aditumque projecta eſt, in qua domus eſt, quæ Regis Hieronis fuit, qua Prætores uti ſolent. In ea ſunt ædes ſacræ complures, ſed duæ, quæ longe ceteris antecellunt; Dianæ una; & altera, quæ fuit, ante iſtius adventum (*Verris*) ornatiſſima, Minervę. In hac inſula extrema, eſt fons aquæ dulcis, cui nomen Arethuſa eſt, incredibili magnitudine, pleniſſimus piſcium, qui fluctu totus operiretur, niſi munitione, ac mole lapidum a mari disjunctus eſſet, altera autem eſt Urbs Syracuſis, cui nomen Acradina eſt: in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatiſſimum Prytaneum, ampliſſima eſt curia, templumque egregium Jovis Olympii, ceteræque urbis partes una lata via perpetua, multiſque tranſverſis diviſæ, privatis ædificiis continentur. Tertia eſt urbs, quæ quod in ea parte, fortunæ fanum antiquum fuit, Tyche nominata eſt, in qua & gymnaſium ampliſſimum eſt, & complures ædes ſacræ, coliturque ea pars, & habitatur frequentiſſime. Quarta autem eſt urbs, quæ quia poſtrema ædificata eſt, Neapolis nominatur, quam ad ſummam theatrum eſt maximum.

Aleſia Deſcriptio ex Cæſare [b]

Ipſum erat oppidum in colle ſummo, admodum edito loco, ut niſi obſidione expugnari non poſſe videretur, cujus collis

(*a*) *In Verr. Act.* 5. (*b*) *de bello Gall. lib.* 7.

collis radices, duo duabus ex partibus flumina ſubluebant. Ante id oppidum planities circiter millia paſſuum tria in longitudinem patebat. Reliqui ex omnibus partibus colles mediocri interjecto ſpatio pari altitudines faſtigio oppidum cingebant. Sub muro, quæ pars collis ad orientem ſpectabat, hunc omnem locum copiæ Gallorum compleverunt, foſſamque, & maceriem ſex ad altitudinem pedum produxerant &c.

Portus Carthaginis. Ex Virgilio [a]

Eſt in ſeceſſu longo locus; inſula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſe ſe unda reductos.
Hinc atque hinc vaſta rupes, geminique minantur
In cælum ſcopuli, quorum ſub vertice late
Æquora tuta ſilent, tum ſilvis ſcena coruſcis
Deſuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte ſub adverſa ſcopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, vivoque ſedilia ſaxo,
Nympharum domus: hic feſſas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat anchora morſu.

Ædes Latini Regis (b)

Tectum auguſtum ingens centum ſublime columnis
Urbe fuit ſumma, Laurentis Regia Pici;
Horrendum ſilvis, & Relligione parentum.
Hinc ſceptra accipere, & primòs attollere faſces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum:
Hæ ſacris ſedes epulis: hic ariete cæſo
Perpetuis ſoliti Patres conſidere menſis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro, Italuſque, paterque Sabinus
Vitiſator curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnuſque ſenex, Janique bifrontis imago
Veſtibulo adſtabant: aliique ab origine Reges &c.

Pulcra eſt Domus ſomni deſcriptio, item Domus Solis, aliaque praſtant ex Libris Transformationum apud Ovidium Somatopeja.

(a) *Aen.* 1. [b] *Aen.* 7.

De Chria.

Quid & quotuplex ſit Chria.

I QUid eſt *Chria?*

1 *Eſt ad aliquod dictum, factum, vel utrumque ſimul explicandum compoſita Oratio.* Græce *Chreia* dicitur, ſive uſus; Nam brevis hujuſmodi oratio ad exercitationem, & uſum eloquentiæ inſtituta: Latine idem ſonat, ac *utilitatem* eadem de cauſſa.

II Quotuplex eſt *Chria?*

2 Triplex: *Verbalis*, videlicet, *Activa*, *& Mixta*.

III Quid eſt Chria *Verbalis?*

3 *Eſt qua alicujus Auctoris ſententiam explicat*: ut illam Tulii (a) *Spes impunitatis, maxima eſt illecebra peccandi*, aut Plinii [b] *Multi famam, conſcientiam pauci verentur*, Virgilii.

Diſcite Juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

IV Quid eſt Chria *Activa?*

4 *Eſt qua circa factum aliquod verſatur.* Hujus argumentum eſſe poteſt illud Pompeji magni, qui Legatus in Aſia, interceptus a Rege Illyricorum, quum Senatus conſilia prodere cogeretur, ardenti lucernæ cremandum digitum præbuit; aut illud Spurinæ, qui eximiæ pulcritudinis Adoleſcens, quum egregia ſpecie quorumdam oculos ſollicitaret, oris decorem ſponte vulneribus deturpavit.

V Quid eſt Chria *Mixta?*

5 *Eſt qua factum, dictumque ſimul exornat.* Tale illud Anacreontis Poetæ, qui a Polycrate Samiorum Tyranno quinque talentis donatus, quum duas noctes egiſſet inſomnes pecuniam retulit, & *odi*, inquit *munus, quod vigilare me cogit.*

De Chriæ partibus.

I QUot Partibus conſtat *Chria?*

1 Octo. Sunt autem Exordium, Expoſitio, ſeu Paraphraſis, Ratio, Contrarium, Similitudo, Exemplum, Teſtimonium, & Epilogus. 2 *Exor-*

(a) *Pro Mil.* [b] *Lib. 3. ep. 20.*

2 *Exordium* ſumitur a laude ſive Encomio ; Vel enim Auctor dicti, vel facti, aut dictum ipſum, factumve commendatur. Hinc a plurimis prima Chriæ pars *Encomium* dicitur.

3 *Expoſitio* explicat, & latius diffundit dicti ſignificationem, aut factum ab adjunctis exornat.

4 *Ratio* explicat cur ita dictum, aut factum fuerit. Depromitur autem ab antecedentibus, conſequentibus, adjunctis &c.

5 *Contrarium* eſt argumentum ab oppoſitis deductum, quo ſuperior ratio confirmatur magis. Interdum fit ſimplex *Diſſimilium Comparatio*.

6 *Similitudo* eſt aliquod propoſitæ rei conveniens, cum quo ipſa confertur, & explicatur.

7 *Exemplum* ab Hiſtoricis, aut Poetis, aut Fabulis ſumitur, ex quibus factum aliquod rei accomodatur.

8 *Teſtimonium* ſit præclari alicujus Auctoris ; quod ſi non ſuccurrat, præteritione ſuppleri poterit.

9 *Epilogus* ſit breve totius Chriæ compendium. Uti licet adhortatione ad id faciendum, quod vel dictum complectitur, vel factum præbet, ex quibus argumentum Chriæ deſumptum eſt.

II Oportet ne eas partes omnes ſemper, & eodem ordine in Chria reperiri?

10 Nequaquam, neque enim ſoli illi loci, neque ſemper eo ordine tractantur. Tamen ut Adoleſcentes aliqua regantur methodo, eæ partes decretæ ſunt a Magiſtris.

Chriæ Verbalis exempla duo.

Ex Her. Rh. l. 4.

(1) SApiens nullum pro Repub. periculum vitabit (2), ideo quod ſæpe fit, ut quum pro Republica perire noluerit, neceſſario cum Republica pereat. Et quoniam ſunt omnia commoda a Patria accepta, nullum incommodum pro patria grave putandum eſt. (3) Ergo qui fugiunt

 id

(1) *Exordium per ſimplicem ſententiæ propoſitionem.*

(2) *Expoſitio & Ratio.* (3) *Contrarium, & Ratio.*

id periculum, quod pro Republica ſubeundum eſt ſtulte faciunt. Nam neque effugere incommoda poſſunt, & ingrati in Civitatem reperiuntur. At qui patriæ pericula ſuo periculo expetunt, hi ſapientes putandi ſunt, quum & eum, quem debent honorem Reipub. reddunt, & pro multis perire malunt, quam cum multis. Etenim vehementer eſt iniquum vitam, quam a natura acceptam propter patriam conſervaveris, naturæ, quum cogat, reddere: patriæ, quum roget, non dare: & quum poſſis cum ſumma virtute, & honore pro patria interire, malle per dedecus, & ignaviam vivere, & quum pro amicis, & Parentibus, & ceteris neceſſariis adire periculum velis, pro Republica, in qua & hoc, & illud ſanctiſſimum nomen patriæ continetur, nolle in diſcrimen venire. (4) Itaque uti contemnendus eſt qui in navigando ſe, quam navim mavult incolumem; ita vituperandus qui in Reipublicæ diſcrimine, ſuæ plus, quam communi ſaluti conſulit. Nave enim fracta multi incolumes evaſerunt; ex naufragio Patriæ nullus poteſt enatare. (5) Quod mihi bene videtur Decius intellexiſſe, qui ſe devoviſſe dicitur, & pro legionibus in hoſtes ſe immiſiſſe medios. Amiſit vitam, at non perdidit: Re enim viliſſima, & parva, maximam redemit: vitam dedit: accepit patriam: amiſit animam; potitus eſt gloria, quæ cum ſumma laude, prodita vetuſtati, quotidie magis eniteſcit. (a) Quod ſi pro Republica debere accedere ad periculum, & ratione demonſtratum eſt, & exemplo comprobatum; ii ſapientes ſunt exiſtimandi, qui nullum pro ſalute Patriæ periculum vitant.

Ex Tullio. De Offic. Lib. 3.

Exordium.

P. Scipionem, M. Fili, eum qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum, ſcripſit Cato, qui fuit fere ejus æqualis, nunquam ſe minus otioſum eſſe, quam quum otioſus, nec minus ſolum, quam quum ſolus eſſet. Magnifica vero vox, & magno viro, & ſapiente digna.

Ex-

(4) *Similitudo.* (5) *Exemplum.*

(a) *Epilogus.*

Expoſitio.

Quæ declarat illum, & in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum, ut neque ceſſaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res, quæ languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium, & ſolitudo.

Adhortatio Rationi conjuncta.

Vellem & nobis hoc idem vere dicere liceret. Sed ſi minus imitatione tantam ingenii præſtantiam conſequi poſſumus, voluntate certe proxime accedimus. Nam & a Republicæ, forenſibuſque negotiis armis impiis, vique prohibiti otium perſequimur, & ob eam cauſſam urbe relicta, rura peragrantes, ſæpe ſoli ſumus.

Comparatio diſſimilium.

Sed nec otium hoc cum Africani otio, nec hæc ſolitudo cum illa comparanda eſt. Ille enim requieſcens a Reipublicæ pulcherrimis muneribus otium ſibi ſumebat aliquando, & a cœtu hominum, frequentiaque interdum, tanquam in portum, ſe in ſolitudinem recipiebat. Noſtrum autem otium negotii inopia, non quieſcendi ſtudio conſtitutum eſt. Extincto enim Senatu, deletiſque judiciis, quid eſt quod dignum nobis, aut in Curia, aut in foro agere poſſimus? Itaque in maxima celebritate, atque in oculis civium quondam viximus, nunc fugientes conſpectum ſceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, & ſæpe ſoli ſumus.

Teſtimonium.

Sed quia ſic ab hominibus doctis accepimus non ſolum ex malis eligere minima oportere, ſed etiam excerpere ex his ipſis, ſi quid ineſſet boni; propterea, & otio fruor, non illo quidem, quo debeat is, qui quondam peperiſſet otium civitati: nec eam ſolitudinem languere patior, quam mihi affert neceſſitas, non voluntas.

Collatio Adjunctorum.

Quamquam Africanus majorem laudem, vel meo judicio, aſſequebatur: nulla tamen ejus ingenii monimenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum ſolitudinis munus extat. Ex quo intelligi debet illum mentis agitatione, inveſtigationeque earum rerum, quas cogitando conſequebatur, nec otio-

otioſum, nec ſolum unquam fuiſſe: nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita a ſolitudine abſtrahamur, ad hanc ſcribendi operam omne ſtudium, curamque convertimus.

Concluſio.

Itaque plura brevi tempore, everſa, quam multis annis, ſtante Repub. ſcripſimus &c.

Hæc Chriæ exempla nobis ſufficiunt, qui probatiſſima exempla Adoleſcentibus proponere, quam noſtra, maluimus. Solent quidem Præceptores aliqua de ſuo hic loci proferre, quibus varium Chriæ genus exemplis demonſtrent. Sed nos opportunum duximus a noſtris temperare, non quod a Magiſtris, triplicis Chriæ generis argumenta tradenda non ſint, quibus Diſcipuli exerceantur: ſed quia nihil probatiſſimi a nobis, qui nos ipſos probe novimus, prodire poſſe intelleximus.

Atque hæc ſatis, iis qui in Humanitatis Claſſe exercentur dicta, ac præcepta ſunto.

RHETORICARUM
INSTITUTIONUM
LIBRI IV.

Digitized by Google

IN RHETORICAS INSTITUTIONES PROLEGOMENA

De Rhetorica generatim.

I QUuid eſt Rhetorica?

1 ℞. *Eſt ars bene dicendi.*

II *Cur dicitur ars?*

2 ℞. Ars dicitur, quia in Rhetorica ea ſervantur omnia, quæ pertinent ad artis rationem. Ars enim eſt facultas, quæ ex præceptionibus quibuſdam certis, & conſentientibus agit. Rhetoricæ autem, ſuæ inſunt præceptiones, quarum exercitatione Rhetor cum opus perficitur.

III *Cur dicitur ars bene dicendi?*

3 ℞. Eſt hoc Rhetoricæ artis peculiare: pulchre, & ornate dicere: Docet enim, & quibus ſententiis optimis, & quibus verbis lectiſſimis quid eloquamur.

IV *Idem ne ſunt Rhetorica, & Eloquentia? Idem ne Rhetor, & Orator?*

4 Nonnulli ita diſtinguunt, ut Rhetoricam putent artem eſſe, quæ bene dicendi præcepta tradat; Eloquentia autem ſit artis ipſius, ſeu præceptorum artis exercitatio. Item Rhetor his dicitur, qui bene eloqui docet: Orator: qui de rebus omnibus copioſe, ornate, memoriter, & cum actionis dignitate dicere poteſt. Tullius *in Oratore*: [a] hæc habet. *Græce ab eloquendo Rhetor, & latine eloquens dictus eſt. Ceterarum enim rerum, quæ ſunt in Oratore partem aliquam ſibi quiſque vendicat, dicendi autem, ideſt eloquendi maxima vis ſoli huic conceditur.* Videtur igitur Tullius, & Rhetorem, & Eloquentem, & Oratorem pro eodem accepiſſe.

V

(a) *mihi edit. Mediol. pag.* 85.

V Quinam eſt finis Oratoriæ facultatis, & quodnam ejus officium?

5 ℞. *Inter officium, & finem hoc intereſt: quod in officio, quod fieri; in fine, quid officio conveniat conſideratur.* Hæc Tullius *Lib. 1. de Invent.* Finis igitur Oratoriæ facultatis, ſive Oratoris eſt: *dicendo perſuadere.* Officium autem: *dicere appoſite ad perſuadendum.*

De Materia Rhetorices.

I QUænam eſt Rhetoricæ materies;

1 ℞. Materies cujuſcunque facultatis generatim illud eſt, circa quod illa verſatur. Materies *Rhetoricæ eſt omnis Quæſtio.*

II Quid nomine Quæſtionis intelligitur?

2 ℞. Quæſtio *a quærendo* dicta. Eſt igitur res quæ per interrogationem proponi poſſit, ſeu *quidquid in diſceptationem oratoriam venire poteſt?* F. G. An bellum ſit ſuſcipiendum; An Clodius inſidias molitus ſit? An Pompejus imperatoria virtute excellat?

III Quot ſunt Quæſtionum genera?

3 ℞. Quadrifariam omnis quæſtio dividi poteſt. Nam primo alia eſt Quæſtio *ſimplex*, alia *conjuncta.*

4 Simplex eſt unius, & ſimplicis rei, quæ ad notitiam explicatur. V. G. *De Deo, Paradiſo, Virtute, Amicitia &c.*

5 Conjuncta ſive complexa eſt rei alicujus, quæ argumentis probatur. V. G. *An labor ſit ampleſtendus; An laudanda virtus; An amandus Deus &c.*

Secundo. Alia eſt Quæſtio *theoretica*, ſive cognitionis: Alia *practica*, ſive actionis.

6 Theoretica ſive cognitionis Quæſtio, ea eſt, quæ ad ſolam veritatem, ſeu cognitionem inſtituitur. V. G. *Quæ cauſſa ſit Lunaris defectus. An ſtella ſit major Tellure &c.*

7 Practica, ſive actionis Quæſtio, ea eſt quæ ad aliquid efficiendum tractatur. V. G. *An liceat vim vi repellere? Quibus officiis colenda ſit amicitia &c.*

Tertio. Alia eſt Quæſtio *infinita*, ſeu propoſitum, & *Theſis*; alia *finita*, ſeu controverſia, cauſſa, vel *Hypotheſis.*

8 In-

8 Infinita eſt quæſtio quædam generica nullis, neque Perſonarum, neque temporum, neque locorum circumſtantiis notata. V. G. *An litterarum, an Poeſis ſtudia præclara ſint? an liceat inſidiatorem occidere?*

9 Finita eſt, quæ temporum, perſonarum, locorum &c. circumſtantiis afficitur. V. G. *An litterarum ſtudia præclara fuerint Archia Poetæ? an Miloni licuerit inſidiatorem occidere?*

Quarto. Alia eſt Quæſtio *præcipua*, alia Queſtio *incidens*

10 Præcipua Quæſtio ea eſt res, quæ potiſſimum in controverſiam venit. V. G. *Milo, jure, an injuria Clodium occiderit.*

11 Incidens eſt ea, quæ propter præcipuum propoſitum tractatur. V. G. *An liceat ſeditioſum Civem, etſi indemnatum occidere. An Clodius Civis fuerit ſeditioſus &c.*

Quæſtio ſimplex, theoretica, & infinita: Sunt plerumque incidentes Quæſtiones. Queſtio autem Præcipua ſolet eſſe conjuncta, practica, & finita. Propterea Orator dum Quæſtiones conjunctas tractabit, magis verſabitur circa practicas, & ex practicis eliget finitas. E. G. *probabit* Impudicitiæ vitium eſſe fugiendum. *En Quæſtionem complexam. Melius aget ſi probet*, Vitium impudicitiæ laboris, & pietatis ſtudio eſſe fugiendum. *Multo etiam præſtantius ſi oſtenderit*, Id vitium ab Adoleſcentibus, laboris, & pietatis ſtudio eſſe fugiendum.

De Partibus Rhetoricæ.

1 QUot ſunt Rhetoricæ partes?

1 ℞. Quum Oratoris officium ſit dicere appoſite ad perſuadendum, oportet ut quot officii Oratorii ſunt partes, totidem ſint partes Rhetoricæ, ad quam pertinent certis regulis ſingula Oratoris officia moderari. Orator autem argumenta ad probandum invenire debet, inventa diſponere, diſpoſita exornare, exornata pronuntiare: Hinc Partes Rhetoricæ cenſentur eſſe quatuor, ſcilicet Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, Pronuntiatio: ſeu melius Doctrina

de Inventione, Diſpoſitione, Elocutione, Pronuntiatione.

II Aſſignantur ne ab omnibus hæ quatuor partes Rhetoricæ?

2 ℞. Alii augent, alii minuunt. Cicero *Memoriam* adjungit; Alii Inventionem, ac Diſpoſitionem demunt, quas non ad Rethoricam, ſed ad Dialecticam volunt pertinere. Ceterum Ariſtoteles in his Quatuor partibus ſiſtit.

III Memoria eſt ne inter Rhetoricæ partes cenſenda?

3 Eam, ut diximus, Tullius recenſuit. Eo nobis Auctore & nos recenſebimus. Quamvis enim memoria alterius cujuſdam artis eſſe poſſe videatur, quam Voſſius μνημονευτικὴ appellat, tamen quum Oratorem juvet ſimili ratione, qua *Inventio*, ac *Diſpoſitio*, quæ ſane ad Dialecticam artem videntur pertinere; attamen ut hæ Rhetoricæ partes dicuntur, ita eadem ratione *Memoria*, in iis partibus reponetur. Adde *Memoriam* tanquam certam Rhetoricæ partem adjici poſſe ex peculiari fine perſuadendi, & movendi, ad quem ducit.

III Inventio, & Diſpoſitio ſunt ne a Rhetoricæ partibus rejiciendæ?

4 ℞. Quum eas Ariſtoteles, & Cicero annumerent, & nos adjicimus. Nam quamvis ad Logicam ſpectent, tamen alium prorſus finem in Rhetorica habent; nam Logicæ eſt, utcunque probare; Rhetoricæ eſt perſuadere. Loci communes a Logica conſiderantur, ut mentem inſtruant; a Rhetore, ut animos moveant. Item diſpoſitio Logica ſpectat ad conjungendum utrunque terminum cum medio, ut bona fiat argumentatio. Rhetorica hunc ordinem immutat, & magis Orationis partes, quam argumentationum formas conſiderat.

RHE-

RHETORICARUM INSTITUTIONUM

LIBER PRIMUS.

De Inventione.

I Quid eſt Inventio?

℞. *Eſt excogitatio argumentorum, quibus Orator ea probet, quæ proponit.* Orator enim aliquid ſuadere nititur; ſuadere autem debet argumentis in rem opportunis.

II Quid eſt argumentum?

2 *Argumentum eſt probabile inventum ad faciendam fidem.* Ita Cicero *de Invent.* Et in Topicis. *Eſt ratio, quæ rei dubiæ facit fidem*; Profecto oportet Oratorem rationibus id confirmare, quod probandum ſuſcepit. Cicero contendit *pro Lege Manilia*, Pompejum pyratico bello gerendo præficiendum. Quonam utitur argumento? En rationem ab ipſo excogitatam. *Quia eſt optimus Imperator.* Cur autem Optimus Imperator? Quod ſcientia rei militaris, virtute, auctoritate, felicitate excellit. Hæ rationes, ſive hæc rationum capita, ſunt argumenta ad probandum, ſeu ad faciendam fidem.

III Undenam argumenta ad probandum trahuntur?

3 A locis Oratoriis, ſeu Topicis. Sunt autem ii, de quibus actum eſt in Superiori parte, ubi de Amplificatione tractatio fuit.

IV Eodem ne modo iis utimur ad amplificandum, atque ad probandum?

4 Nequaquam. Nam ad amplificandum ſufficit locos præbere nobis copiam, & amplitudinem orationis. Ad probandum vero requiritur aliquid ex iis deduci. E. G. quum Tullius pro Milone dixit Curiam *Templum ſanctitatis, am-*

plitudinis, *mentis*, *conſilii publici*, *Caput Urbis*, *Aram Sociorum*, *Portum omnium Gentium &c.* uſus eſt loco definitionis ad dilatandum. Quum vero in Piſonem inquit: *Animo Conſulem eſſe oportet*, *conſilio*, *fide*, *gravitate*, *vigilantia*, *cura*, *toto denique munere Conſulatus*. *Ego Conſulem eſſe putem*, *qui ſenatum eſſe in Rep. non putavit? & ſine eo conſilio conſulem numerem ſine quo &c.* uſus eſt eodem loco, & loco *notationis* ad probandum. Nam ex definitione Conſulatus infert Piſonem non fuiſſe Conſulem. Docuimus item ſuperiori Inſtitutione, locum *Enumerationis* aliter dilatando, aliter argumentando tractari.

De variis argumentationum generibus.

I Argumenta a locis petita quomodo ab Oratore exponuntur?

1 Interdum native, & ſimpliciter: plerumque vero per certas argumentationum formas.

II Quid eſt argumentatio?

2 *Eſt argumenti explicatio*. Ratio videlicet, qua rem probare nitimur certa quadam ratione expoſita, ex qua vim, & acumen obtinet. Si dicas. Virtus eſt expetenda, *quod gloriam parit*: eſt hoc nudum, & ſimplex argumentum; at ſi per certas propoſitiones diſcreveris, & has invicem diſpoſueris, aliam ex alia trahens, argumentationem habebis. Dic igitur.

Quod gloriam parit expetendum eſt.
Virtus gloriam parit.
Ergo Virtus expetenda eſt. En argumentationem.

III Eſt ne una ſemper atque eadem argumentationis ratio?

3 Ex varia iſtarum ratione, variæ argumentationum claſſes recenſentur. Sunt autem præcipuæ. *Syllogiſmus*. *Enthymema*. *Inductio*. *Exemplum*. His adjungitur *Dilemma*, *Sorites*, & *Epicheremma*.

De

De Syllogiſmo.

I Quid eſt Syllogiſmus?

1 Eſt *argumentatio, in qua ex duobus pronuntiatis artificioſe diſpoſitis, tertium aliud infertur.* Colligitur, tres ſyllogiſmo propoſitiones ineſſe, & has certa ratione connecti oportere.

II Tres illæ propoſitiones habent ne ſua nomina?

2 Habent. Prima *propoſitio major*, vel ſimpliciter *propoſitio*, aut *major* dicitur. Secunda, *propoſitio minor*, vel ſimpliciter *minor*, aut *aſſumptio* appellatur. Tertia, *concluſio*, ſeu *complexio* nominatur.

III Qua ratione tres illæ propoſitiones diſponuntur, & connectuntur?

3 Diſponuntur, & innectuntur ratione terminorum, quos continent. Terminus autem, eſt *illud, in quod reſolvitur propoſitio*, tanquam in *ſubjectum*, & *attributum*, ſeu *prædicatum*. Sit hæc. *Petrus eſt homo. Petrus:* en unus terminus. *Homo*: en alter terminus. *Eſt*: en verbum ſeu *copula*.

IV Quot eſſe debent termini in ſyllogiſmo?

4 Tres omnino, in tribus propoſitionibus; propterea ut unus eorum in prima, & altera propoſitione reperiatur, neutiquam in tertia ſit. Aliorum vero alter in prima propoſitione, alter in ſecunda reperiatur, & ambo demum in tertia repetantur.

V Terminus, qui in prima, & ſecunda propoſitione locandus eſt, quo nomine appellatur?

5 Dicitur *argumentum*, ſeu *medium*, vel *medius terminus*.

VI Quomodo parantur præfati termini?

6 Propoſitio ſumitur, quam probare volumus. Hæc profecto duobus terminis conſtat. Hæc ſervanda erit pro tertia propoſitione, ſeu Concluſione. Igitur excogitandum erit argumentum, quo ea probetur. Hoc quum invenerimus dabit tertium terminum, qui erit in majori, & minori collocandus. Fac te probare hanc propoſitionem. *Petrus eſt homo*. Excogita argumentum. Quia, inquies, *eſt ra-*

rationalis. Habet igitur tres terminos. *Petrus*. *Homo*. *Rationalis*. Diximus propoſitionem, quam vis probare, ſemper tertiam eſſe debere. Manent igitur illi duo termini. *Homo*, & *Petrus* ita jungendi cum illo, *Rationalis*, ut duas propoſitiones conſtituant. Dic igitur.

Propoſitio. Homo eſt Rationalis,
Aſſumptio. Petrus eſt Rationalis:
Concluſio. Ergo Petrus eſt Homo.
Vel Petrus eſt rationalis,
Homo eſt rationalis:
Ergo Petrus eſt Homo.

VII Eſt ne certa lex ad diſponendum hujuſmodi terminos?

7 Eſt ſane; ſed ea prorſus dialecticorum eſt, qui & figuras, & modos figurarum in ſyllogiſmis aſſignant, ac docent. Quæ diximus, Rhetoricæ ſtudioſo Adoleſcenti ſunt ſatis.

De Enthymemate.

I Quid eſt Enthymema?

1 *Eſt imperfectus ſyllogiſmus, ſive argumentatio, in qua, vel majori, vel minori propoſitione ommiſſa, infertur concluſio*. Conficitur itaque ex una *præmiſſarum* ſyllogiſmi, & concluſione. Sit exemplum.

2 *Ablata majori prop*.
Clodius inſidias ſtruxit
Ergo Clodius jure interfectus.
Reticetur hæc propoſitio.
Qui inſidias ſtruit jure interficitur.

3 *Sublata minori prop*.
Qui inſidias molitur jure interficitur
Ergo Clodius jure interfectus.
Reticetur hæc. *Clodius inſidias molitus eſt*.

II Quot propoſitionibus conſtat Enthymema?

4 Duabus; quarum prima a dialecticis dicitur *Antecedens*, ſive *Argumentum*; altera dicitur *Conſequens*, ſive *Concluſio*.

III Quandonam Oratores Enthymemate utuntur.

5 In

5 In perſpicuis valde argumentis, in quibus ſi utramque velint propoſitionem afferre, videantur, aut eruditioni, aut prudentiæ Auditorum diffidere, docet enim Ariſtoteles ſi quid perſpicuum plane ſit, reticendum eſſe. Propterea, ut Syllogiſmus dialecticæ inſtrumentum eſt, ita Enthymema Rhetoricæ eſſe videtur. Animadvertendum tamen vim Enthymematis ad concludendum, a vi ſyllogiſmi pendere.

IV Quodnam Enthymema omnium optimum uſuvenit Oratoribus?

6 Illud quod ex contrariis conficitur. Nullum præter hoc Hermogenes agnovit, atque huic primum locum Tullius cedit [a]. Hoc autem ſolet ut plurimum per figuram interrogationis afferri pulcherrime, & ſumma cum vi ad commovendum. Sed de modo hujus exponendi alibi agemus. Sit exemplo illud Ciceronis (b) *Quomodo ille vivens vos afficeret, qui mortuus inani cogitatione percuſſit?* Et illud ibidem. *Quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus; hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?* Sed de his, inquam; alibi diſtinctius, ubi de Confirmatione Orationis.

De Inductione.

I QUid eſt Inductio?

1 *Eſt argumentatio, qua ex pluribus propoſitionibus particularibus aliquid infertur.*

II Quot modis fieri poteſt inductio?

2 Tullius docet tribus modis fieri: videlicet, per *exempla*, per *collationem*, & per *enumerationem*. Sunt enim Inductiones, in quibus exempla, in quibus plures, aut ſimilitudines, aut comparationes afferuntur, & in quibus demum plura enumerantur: partes, puta, vel ſpecies, aut alia, ad concluſionem deducendam.

III Cedo Inductionem per *exempla*.

3 Sit ea Ciceronis. (c) *Si Marcus Craſſus: ſi Q. Metellus:*

(a) *in Topicis.* [b] *pro Mil.*

(c) *pro Cornel. Balbo. Antecedens.*

lus; *ſi L. Sylla*: *ſi C. Marius*: *ſi Senatus*: *ſi populus Romanus jure fœderatos homines Civitate donarunt*; (a) *& Cn. Pompejus L. Cornelium fœderatum jure potuit Civitate donare*.

IV Affer Inductionem per *ſimilitudines*?

4 Apud Senecam [b] hæc habetur. *Navis bona dicitur non quæ pretioſis coloribus picta eſt &c. ſed quæ ſtabilis &c. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus &c. ſed cui ad ſecandum ſubtilis eſt acies. Regula non quam formoſa, ſed quam recta ſit quæritur. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet quantum aret, a quam multis ſalutetur, ſed quam bonus ſit*.

V Da Inductionem per *Enumerationem plurium*.

5 Cicero (pro Marcello) hanc habet, in qua tamen more oratorio, (de quo inferius *ubi de Confirmatione*) Concluſio argumentum antecedit. *Omnia ſunt excitanda tibi C. Cæſar uni, quę jacere ſentis belli ipſius impetu, quod neceſſe fuit, perculſa, atque proſtrata*. [c] *Conſtituenda judicia, revocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda ſoboles*. (d)

VI Eſtne frequens Inductionis uſus apud Oratores?

6 Frequens, & utilis. Magis enim movent exempla, quam rationes ipſæ. Sed non Oratoribus modo, verum etiam Poetis familiares ſunt. Melici Poetæ in Elegiis, hujuſmodi argumentationibus delectantur; Lyrici etiam, immo Epici. Pulcherrimam attulit Virgilius, qua Æneas ſibi jure concedendum ad Inferos aditum probat. (e)

Si potuit manes arceſſere conjugis Orpheus
Treicia fretus cithara, fidibuſque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque, reditque viam toties: *Quid Theſea*? *magnum*
Quid memorem Alcidem? *& mi genus ab Jove ſummo*.

De

(a) *Concluſio*. [b] *Epiſt*. 76.
(c) *huc uſque Concluſio*.
[d] *hoc Antec. ab enum*. [e] *Aen*. 6.

De Exemplo.

I Quid eſt Exemplum?

1 Eſt *argumentatio, aliquid ſingulare, ex alio uno ſimili probans.* Cicero (a) hanc habet. Scipio interfecit Tiberium Graccum infenſum Reip. Ergo nos Conſules occidere poſſumus Catilinam longe Reip. pernicioſiorem.; Quam oratorie ſic poſuit. *An vero Vir ampliſſimus P. Scipio Pontifex Maximus Tiberium Graccum mediocriter labefactantem ſtatum Reipublicæ privatus interfecit;* [b] *Catilinam vero orbem terræ cæde, atque incendiis vaſtare cupientem., nos Conſules perferemus?* (c)

Exemplum etiam *Poetis uſuvenit*, non ſecus, quam Inductio. In utroque genere hujus argumentationis *cavendum, ut quæ ſumuntur ad probandum ſive exempla, ſive ſimilitudines &c. vera ſint, & cum eo, quod probare nitimur, aliqua ratione conveniant.* Aliter nihil evincitur.

De Dilemmate.

I Quid eſt Dilemma?

1 Dicitur Dilemma a Tullio [d] Comprehenſio. Eſt autem, *Argumentatio duobus membris pugnantibus conſtans, quorum utrinque adverſarium ferit, ſeu capit.* Tullius in Antonium (e) *Interfectores Cæſaris, vel ſunt Patriæ Liberatores, vel parricidæ. Si Patriæ Liberatores, ſtulte arguor a te, ſocius eorum fuiſſe. Si parricidæ, male a te honoris cauſſa nominantur. Vel ſtulte igitur a te reprehendor, vel male illi honoris cauſſa nominantur.* Et Philippica quinta — *Legatos decernitis? Si ut deprecentur, contemnet. ſi ut imperetis non audiet.*

II Quam habet vim Dilemma, & unde habet?

2 Habet vim maximam, & habet a disjunctione eorum, in quibus nullum datur medium. Cavendum igitur ſic illud inſtitui, ut nullum adverſario effugium pateat. Nam

 ſi in

[a] *In Catilinam* 1. (b) *En Antecedens.*
(c) *En Concluſ.* (d) *Lib.* 1. *de Invent.*
[e] *Philipp.* 2.

ſi in disjunctione medium quid aſſignàri poſſit, dilemma prorſus intercidit. Superiora Dilemmata, ex Tullio rite concludunt, quod primum, ex ipſis Antonii verbis, ſuam vim ſumit; alterum, quod in iis circumſtantiis Legati mittendi non erant niſi, vel ad precandum, vel ad jubendum. Ceterum ſi ad nuntiandum mitti potuiſſent, rueret vis argumenti. Sic dicito. *Vel hoc album, vel nigrum eſt. Album non eſt, nigrum non eſt. Ergo nullius coloris eſt.* Dilemma nullum. Nam inter album & nigrum medius color aſſignari poteſt.

De Sorite.

I Quid eſt Sorites?

1 *Eſt Argumentatio, quę ex multis propoſitionibus gradatim diſpoſitis, & coacervatis aliquid infert.* Dicitur Ciceroni *coacervalis* argumentatio. Eſt plerumque argumentatio captioſa, & ſophiſtica. Sit exemplo illud, quod refert Plutarchus de Temiſtoclis filio ſe contendente poſſe id, quod populus poſſet Athenienſis, hoc Sorite.

Quod ego volo, vult & Mater mea.
Quod Mater mea vult, vult & Pater meus Temiſtocles.
Quod vult Temiſtocles, vult & Pop. Athenienſis.
Ergo quod ego volo, vult & populus Athenienſis.
Ergo ſi populus Athenienſis vult quod ego volo, ego poſſum quod populus Athenienſis.

Sed hæ ſunt nugæ, & captiones.

De Epicheremmate.

I Quid eſt Epicheremma.

1 *Eſt argumentatio, qua ad ſyllogiſmum reducitur, ſed numero partium ab ea differt.* Nam aliquando, aut Propoſitioni, aut Aſſumptioni, vel utrique rationem adjungit, unde earum veritas probetur. Hinc, vel quatuor, vel quinque propoſitionibus conſtat. Verum hæc magis eſt plurium argumentationum connexa ſeries, quam unica argumentatio. Tullius [a] hanc habet: *Melius accurantur qua conſilio*

[a] *Lib. 1. de Invent.*

ſilio geruntur, quam quæ ſine conſilio adminiſtrantur. Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus, & apparatior, quam ea, quæ temere, & nullo conſilio adminiſtratur. Exercitus is, cui præpoſitus eſt ſapiens, & callidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui ſtultitia, & temeritate alicujus adminiſtratur. Eadem navigii ratio eſt &c. Nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus adminiſtratur; Nam & ſignorum ortus, & obitus definitum quendam ordinem ſervant, & annuæ commutationes &c. Conſilio igitur Mundus adminiſtratur.

2 Alii vocant *Epicheremma* ratiocinationem unica propoſitione concluſam, ſive *Enthymema contractum*. E. G. *Quiſnam fidat fallacibus fortunæ bonis*. In qua propoſitione hæc continetur argumentatio. *Non eſt fidendum bonis fallacibus: Ergo non eſt fidendum bonis fortunæ.*

De diverſis Cauſſarum Generibus.

I QUot, & quæ ſunt Cauſſarum, ſive Orationum genera?

1 Tria ſunt, videlicet *Demonſtrativum*, *Deliberativum*, & *Judiciale*.

II Quid eſt Genus Demonſtrativum?

2 Eſt illud quod vel in laude, vel in vituperatione verſatur.

III Quid eſt Genus Deliberativum?

3 Eſt illud, quo ſuademus aliquid, vel diſſuademus.

IV Quid eſt Genus Judiciale?

4 Eſt illud, quo vel accuſamus, vel defendimus.

V Quinam eſt finis ſingulorum hujuſmodi generum Orationis?

5 Omnes cauſſæ pro fine habent cognitionem, & actionem; nam Orator in ſingulis, aliquid Auditores docet, & ad aliquid agendum impellit. Tamen ſingulæ tribus præcipuis finibus diſtinguuntur inter ſe, qui a perſona dicentis, audientis, & rei, de qua agunt, in ſingulis deſumuntur.

6 Finis igitur *Demonſtrativi generis* eſt laus vel vitupe-

ratio

ratio ex parte Oratoris; Delectatio, & admiratio ex Auditoribus; honeſtas, & turpido ex ipſa re.

7 Finis *Deliberativi*: Oratori eſt ſuaſio, vel diſſuaſio; Auditori ſpes, vel reformidatio; Rei, utilitas cum honeſtate, vel pernicies.

8 Finis *Judicialis*, ſpectato Oratore: accuſatio, vel defenſio; Judice: ſeveritas, vel clementia; Reo juſtitia, vel injuſtitia.

VI Quænam eſt elocutio propria ſingulorum generum?

9 *Demonſtrativum*, gaudet ſubtili, & ornatiſſimo ſententiarum, verborum, numerorum delectu. *Deliberativum* amat perſpicuum, & grave, ſed facile, & nativum quoddam dicendi genus, nam plerumque cum populo agendum eſt, qui facilitatem amat, & cultum elegantiorem negligit. *Judiciale*, exquiſita, ſubtili, ac diligenti elocutione tractatur, nam, & pauci audiunt præter Judices, & Judices Viri ſunt doctrina, & ſtudio expoliti.

VII Miſcentur ne interdum hæc genera in unica Oratione?

10 Miſcentur ſane. Nam fit interdum ut laudet ſimul, conſulat, defendat Orator. Hæc Oratio generis vel mixti dicitur; vel ejus generis, cujus eſt *precipua* ejuſdem quæſtio; vel pro ſingulis partibus, in quibus ſingulare genus elucet, ad aliud, atque aliud Cauſſarum genus pertinebit.

VIII Genus quod multi vocant *Didaſcalicum*, eſt ne peculiare quoddam genus Cauſſæ?

11 *Didaſcalicum* illud vocant, quod ſolum docendi finem reſpicit. Non eſt autem diſtinctum genus; ſed aliorum quaſi pars, ſive inſtrumentum; nam in omni genere, de quo egimus, aliquid Orator docet, ſeu factum, ſeu faciendum: ſive ut id miremur, aut laudemus, ſive ut aggrediamur, aut vitemus: ſive demum ut nocens, aut innocens id eſſe intelligamus. Quod ſi quis interdum nullum præterea finem dicendo reſpicit, quam docere; hoc non eſt dicendi genus Oratorium. Oratoris enim eſt, docendo, & delectare inſuper, & movere.

CAP. I.

De Genere Demonſtrativo:

I CUr hoc Genus Demonſtrativum dicitur?
1 Dicitur Demonſtrativum, ſive græce *Epidiëticon* quod ſolam Perſonæ, reique naturam oſtendit, nec per ſe voluntatis Auditorum motum aliquem poſcit. Vocatur etiam *Encomiaſticum*, *&* *Panegiricum*, quia, ut diximus, in laude verſatur, aut in ejus oppoſito, videlicet vituperatione.

II Quid eſt Laus, & quid vituperatio?
2 Laus eſt, *Oratio alicujus bona proponens*. *Vituperatio eſt oratio alicujus vitia notans*.

III Quænam laudari aut vituperari poſſunt?
Omnia laudari poſſunt, omnia præter divina, & ſancta, vituperari. Tamen occupari ſolent Oratores in laude, aut vituperatione *Perſonarum* præcipue, & *Rerum*.

De Laude Perſonarum.

I QUid nomine Perſonarum intelligitur?
1 Perſona ex Boetio, *eſt Rationalis natura individua Subſtantia*. Quum igitur de Perſonis agimus commendandis, potiſſimum de Hominibus loquimur.

II An non Deus, & Angeli ſunt laudibus celebrandi?
2 Celebrandi quidem: & Dei laus ab ejus natura, & attributis præcipue deſumenda: Laus Angelorum, ab eorundem natura, ac muneribus. Non excludimus a laude Deum, & Angelos, ſed hic de commendandis Hominibus propterea loquimur, quod in eorum encomiis genus demonſtrativum maxime exerceant noſtrum temporum Oratores.

III Unde Perſonæ præcipuæ laudari poſſunt?
3 A duplici capite: videlicet, *&* *ab iis, quæ ſunt extra Perſonam*, *&* *ab iis, quæ in Perſona ipſa reperiuntur*. De his ſingillatim.

De

De Laude Perſonæ ab iis, quæ ſunt extra.

I Quatuor extra Perſonam poſita, ejus laudi vertere
1 poſſunt.

1 *Nobilitas*. *Gratia*, *Divitiæ*, *Proles*. Ariſtoteles ſeptem enumerat; diſtinguit enim *Gratiam* ab *Amicitia*, quam nos pro eodem accipimus, ſejungit *bonam prolem a multitudine filiorum*: atque his demum adjicit *facilem ſenectutem*. Verum nos ſub capite *prolis*, & bonam, & multiplicem comprehendimus: *facilem vero ſenectutem* inter ea conjicimus, quæ *in Perſona ipſa ſunt*, de quibus inferius agemus.

I *Nobilitas* vel *communis* eſt, vel *privata*. Communis nobilitas eſt *Nationis*, *Gentis*, *Civitatis*. Hæc maxime præſtat ſi *vetuſtam*, ſi *claram* originem habuit: ſi *primos Auctores illuſtres*: ſi Viros *Principes*, & *celeberrimos* ediderit, *pace*, *bello*, *muneribus ſcientiis*, *artibus &c.*

Privata nobilitas a Viris, aut feminis pendet, familiæ alicujus: ſeu primi ejus generis Auctores fuerint, ſive ab illo genere ortum duxerint, clarique fuerint, *virtute*, *divitiis* (præſertim *veteribus*) *dignitatibus*, *optimis artibus &c.* Cicero commendavit Archiam, *a nobilitate communi*, quod videlicet *Antiochiæ loco nobili &c.* natus eſſet. Iſocrates Evagoram celebravit a *privata*, quod ejus genus a Jove, & Æaco uſque deductum eſſet.

In laudando a *Nobilitate* cavendum ne aliena magis, quam ſua laude aliquem celebremus. *Si propria virtute præſtiterit*, pauca de nobilitate privata, nihil de communi dicemus. Verum *ſi parum ſuo opere luceat*, tum *nobilitatis* locus uberius tractabitur ab Oratore. *Poetis paullo liberior facultas datur*. Pindarus in hoc fonte potiſſimum verſatus eſt; A *Nobilitate* vituperatio deducitur, ſi quis dicatur *ſuis vitiis fœdaſſe generis claritatem*, aut ea *indignum ſe præſtitiſſe &c.*

II *Gratia*: eſt multorum Amicitia, unde gratioſi dicuntur, qui plurimos Amicos habent. Eſt autem gratia apud multos bonitatis argumentum. Sumi etiam poteſt pro bona apud multos opinione. Præbet autem laudandi ſegetem, ſi con-

ſi conſideres *quibus auxiliis* ſit gratiam adeptus ille, quem celebras, Num *virtute*, *fama*, *beneficiis &c.* apud quos ſit adeptus: num *multos*, *omnes*, *nobiles*, *ſapientes*, *clariſſimos &c.* Multo etiam commendabilior erit *gratia*, ſi hanc ceteri ab eo exquiſierint *officiis*, *beneficiis*, *muneribus*, *epiſtolis &c.* Tullius commendat Roſcium ab hoc fonte. Item Archiam, quod *temporibus illis jucundus Q. Metello Numidico* eſſet &c.

Gratia dabit *ab oppoſitis materiem vituperandi, vel quia amici non ſint, vel quia inimici multi: quod aliquis omnium ſibi invidiam conciliaverit, homo contemptui, aut neglectui ceterorum quoddamodo natus &c.*

III *Divitiæ*, ſunt poſſeſſiones earum rerum, quæ ſunt neceſſariæ, vel utiles ad privatam, vel publicam commoditatem. Sitæ ſunt in *pecuniis*, *prædiis*, *ædificiis*, *Regionum dominationibus*, *ſuppellectilibus*, *pecudibus*, *ſervis &c.* Commendantur, quod *multæ*, quod *tutæ*, quod *utiles*, quod *jucundæ*, quod *promptæ*, quod *potentes*, quod *liberæ*, ſeu *veteres* ſint, ſeu *recentes &c.* eodemque modo earum poſſeſſores laudari poſſunt.

Laus a Divitiis *ſatis eſt tenuis, niſi cum recte factorum gloria jungatur, potiſſimum vero cum earundem uſu in publicam, aut in privatam aliorum utilitatem.* *A* Divitiis *vituperatio orietur, quod hominum cor ſollicitent, mentem turbent, animum a bono avertant; in ambitionem, arrogantiam, violentiam abducant. Si rebus utuntur ſuis, luxurioſi ſunt divites: ſi abſtinent, miſeri. Divites animi bona negligunt, corpus otio, & ignavia labefactant &c. Lucri, & divitiarum cauſſa fiunt cædes, fides violatur, ſacra, & profana omnia ſubvertuntur &c.*

IV *Proles* ſuppeditabit laudem, ſi *multa* ſit, ſi *pulcra*, ſi *robuſta*, ſi *Patriæ utilis*, ſi *bonis moribus informata*. Hæc enim prolis bonitas, eos probat, a quibus edita, & alta eſt, eadem, aut longe meliori virtute præſtare; *Fortes enim*, teſte Horatio, *creantur fortibus, & bonis &c.*

Vituperabis a Prole, *oppoſita ratione, ſi* nulla *ſit, ſi* turpis, *ſi* inutilis, *ſi* vitioſa. *Ut enim fecunditas præmium virtutis, ita ſterilitas vitii argumentum dici poteſt;*

teſt: Vitia autem, & pravitates naturum; perverſam eorundem inſtitutionem deſignant, quæ ſane Parentum crimini danda eſt.

V Quænam ſunt ea bona, quæ ad laudandum *in ipſa Perſona* notanda ſunt?

S Sunt hæc in duplici claſſe poſita. Alia enim ſpectant corpus: Alia ad animum pertinent. Agemus primo.

De Laude Perſonæ a bonis corporis.

BOna corporis tria adfero, quæ ſunt omnium optima. *Valetudo, Pulcritudo, & Vires.*

I *Valetudo* in eo poſita eſt, quod Corpus, & morbo careat; & ad uſum ſit bene conſtitutum. Valetudinem tuentur *frugalitas, ac temperantia* in victu. *Labor, & corporis exercitatio; hilaritas, & lætitia animi.* A Valetudine laudabis aliquem, quum animadverteris, quibus auxiliis ea fruatur: quod ſit *temperans, aut abſtinens;* quod *laboris amans,* quod *otio infenſus,* quod *læto animo,* ſibique *recti conſcio &c.* Laudabis, quod valetudine *ad bona ſtudia, ad familiæ, ad patriæ utilitatem* ſit uſus &c. Dialogus Ciceronis de Senectute multa ſuppeditabit, ſi eum perlegas. Ibidem multi ab hoc fonte laudantur.

Valetudo *prebebit vituperationem ſi homini inſit, is vero eadem abutatur, ad* luxuriem, *ad* violentiam, *ad* intemperantiam; *ſin valetudo abſit, argumentum erit intemperantiæ, mollitiei, otii, luxuriæ &c. nam* otium, *inquit Seneca*, ita vires corporis abſumit, ut rubigo ferrum.

II *Pulcbritudo*, inquit Tullius, eſt apta figura membrorum cum coloris quadam ſuavitate. Ariſtoteles autem pro varia ætate variam diſtinguit pulcritudinem. Rite id quidem. Nam alia eſt Adoleſcentis, alia Viri, alia Senis pulcritudo. Laudabis Adoleſcentem, quod corpus *vividum, vegetumque*, & ad motum, laboremque *promptum*, ac *facile* habeat, cum oris *verecunda* quadam, ac *modeſta* ſuavitate. Virum a *vigore*, a *proceritate*, & *amplitudine corporis*, apta tamen, & proportioni partium reſpondente, cum gravi quadam

dam vultus dignitate. Senem a *vi corporis prompta*, a *facili motu*, ab *ore bilari*. Cicero de Senectute, exempla præbere poteſt nonnulla. Virgilius de Turno [a]

Ipſe inter primos preſtanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.

A pulcritudine, quæ propterea commendabilis dicitur ab Iſocrate [b] quod veritatem ipſam non aliunde ſumme probamus, quam quod ſit pulcherrima: Deus ipſe, Virgo Deipara, Angelique laudantur, Beatique Spiritus &c.

Pulcritudo tamen ſine virtute leve, immo nullum bonum eſt, propterea ſatis fatuum commendationis argumentum. Illud meminiſſe oportet, quod Muretus in Inſtitutione puerili ſcripſit.

Inſpice te in ſpeculo, & bona ſeu tibi forma videtur
Moribus obſcenis illam fœdare caveto.
Seu tibi ſubtraxit vultus natura decorem.
Ingenio, ut formæ compenſes damna, labora.

A pulcritudine vituperatio orietur, ſi quis eam fœdis moribus turpet, ſi ea ad immodeſtiam, & improbitatem abutatur.

III *Vires* is habet, qui robuſtus eſt: ſi *trahere*, *impellere*, *tollere*, *deprimere*, *collidere* aliquid valeat. *Vires* connexæ ſunt cum corporis *magnitudine*; *firmitate*, *denſitate*, interdum etiam *agilitate*. Virgilius de Dareta (c) *vaſtis, cum viribus effert ora Dares*, & de Entello:

Et magnos membrorum artus magna oſſa, lacertoſque
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena.

Vires non ſunt pars felicitatis niſi animi moderatione regantur. Tullius Antonio objecit totius corporis gladiatoriam firmitatem. Hinc vides qua ratione, a Viribus *vituperare ſi datum.*

De laude Perſonæ a bonis animi.

ANimi bona alia *cognitionis* dici poſſunt; alia *actionis*. *Cognitionis* ſunt ſcientiæ, & artes *Actionis* ſunt ceteræ virtutes, quæ in agendo effulgent.

I Scien-

(a) *Lib. 7.* (b) *in laudibus Helenæ.* [c] *Aen. 5.*

I *Scientia*, quæ eſt rerum per cauſſas certa cognitio, in multiplici claſſe poſita eſt. Quælibet vero ſcientia commendari poteſt a ſuo objecto, ut Theologia, a Deo, quem reſpicit, a delectatione quam affert, ab utilitate, quam parat, a diuturnitate, qua manet: a comparatione cum aliis &c. Sciens vero laudabitur, non modo a ſcientiæ præſtantia, verum etiam a *numero* ſcientiarum, quas tenet, a *modo*, quo in iis verſatus eſt, a *tempore*, quod in iis adipiſcendis inſumpſit, a *loco*, in quo iis ſtuduit, *præſertim ſi clarus*, & *illuſtris*, a *fama*, quam a ſcientiis adeptus eſt &c.

II *Ars*, quæ eſt lex quædam ad agendum percepta, ea ratione commendatur, qua diximus ſcientiam celebrari. Solet etiam ipſarum Auctor ornari, quo ars ipſa excellentior habeatur.

Virtutes, quæ in agendo maxime fulgent ſunt, *Prudentia*, *Temperantia*, *Magnitudo animi*, ac *Verecundia*.

III *Prudentia*, quæ eſt recte agendorum ratio: ſive domeſtica fuerit, quæ *Economia* nominantur, ſive civilis, quæ appellatur *Politica*, ſive privata, quæ eſt cujuslibet hominis in agendo regula, laudis materiem ſuppeditabit *a re privata bene geſta; a publica ſapienter adminiſtrata*; ab omni actione *rite ſuſcepta*, *recteque peracta*. Ab *Enumeratione* recte factorum, ab *Effectis* eorundem, a *Comparatione*, cum Viris ſumme prudentibus, totique antiquitati celeberrimus, quales fuere e Græcis Solon, Ariſtides, Phocion: e Romanis Cato, Fabius, Cicero &c.

IV *Temperantia*, quæ eſt virtus moderandis cupiditatibus, regendiſque animi motibus accommodata, non ſecus ac prudentia, & rem privatam adſpicit, & communem ſpectat. Quod ad privatam rem attinet eſt *in commodis abſtinentia*, quæ res alienas non appetit, eſt *continentia*, quæ res in poteſtate ſua poſitas non tangit. *In commodis* autem, ſi venientibus malis obſtet, *Fortitudo*: ſi præſentia toleret, *Patientia* nominatur.

Quod attinet ad rem communem, ut ſuum cuique tribuit, *Juſtitia* eſt; cujus quidem temperantiæ ſpecies ſunt, *Religio*, quæ cultum Deo, & Divinis adhibet, *Devotionem* vero ſub ſe continet, ſeu *promptam Deo famulandi voluntatem*.

tem, *Fides*, *Spes*, *Caritas* Theologicæ virtntes. Altera ſpecies eſt *Pietas*, quæ Parentes Patriam, ac Majores adſpicit. *Caritas*, quæ filios alit: *Bonitas*, quæ omnes intuetur. *Fides*, quæ dictum, ac promiſſum pręſtat. *Lenitas*, quæ contentiones devitat, & moderationem in puniendo adhibet. *Amicitia*, quæ multorum comparat benevolentiam.

Ab hac virtute aliquem laudabimus, quod aliena nunquam invaſerit, ſuis contentus fuerit: quod voluptates contempſerit, frugalitatem amplexus ſit; manus, occulos, mentem ſapienter, ac ſobrie moderatus fuerit. In promptu eſſe poterit *Enumerationis* locus, *Adjunctorum*, *Comparationis &c.* Celeberrimi hac virtute extiterunt inter Græcos Socrates, Gorgias Leontinus, Xenocrates; inter Romanos Curius, Fabritius, Camillus &c. Cicero laudavit Pompejum (*a*) a *continentia*, Dejotarum a *fragilitate &c.*

V *Animi magnitudo* ea eſt, quæ hominem ad res magnas, & egregias excitat; at ſe pro honeſtate, periculis objiciat, injurias tolleret, & earum obliviſcatur. Huic conjuncta eſt *liberalitas*, *&* *beneficentia*, quæ *in humanitate*, *miſericordia*, *hoſpitalitate* poſitæ ſunt. Ab his virtutibus laus oritur pulcherrima, Nam ſæpe multis prodeſſe ſolent, multitudinis amorem conciliant, amicis favent, miſeros ſublevant, Patriam aliquando tuentur, emoliunt animos inimicorum. Tullius (*b*) extollit Cæſarem, quod nihil obliviſci *ſoleret præter injurias*. Et pro Marcello, a moderatione animi, a liberalitate, a manſuetudine eundem exornat. *Animum*, inquit, *vincere*, *iracundiam cohibere &c. hæc qui faciat non ego eum ſummis Viris comparo, ſed ſimillimum Deo judicio*. Veteres Cimonem ſumme celebrarunt, qui domi convivium quotidie pauperibus parabat: ſepes agrorum ſuorum auferri juſſerat, quo poſſent omnes fructibus eorundem veſci: pecunia clam illata, quos inopia premi intelligeret ſublevabat. Verum hæc profana; Longe pulcriora habemus in Sacra Chriſtianaque hiſtoria Virtutis hujuſmodi exempla.

VI *Verecundia* dicitur virtutum cuſtos, quæ dedecus adverſatur, & laudem, ac famam perſequitur. Omnes de-

L cet,

(*a*) *Pro Leg. Manil.* [*b*] *pro Q. Ligar.*

cet, ſed Pueros præcipue, Juvenes, Puellas &c. Ab omni cavet loquendi, agendi, adſpiciendi facilitate, petulantia, procacitate. In pudore emicat caſtitas, & reverentia. Virgilius Laviniam commendavit a pudore (a)

Accepit vocem lacrymis Lavinia Matris
Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit &c.

Docuit Quintilianus lib. 3. cap. 7. *Vitia* laudari poſſe; ſaltem pro aliqua publica utilitate. Verum hoc falſum, & impium eſt. Vitia omni ſunt vituperatione inſectanda, omni ſtuſtio ſugienda. Fuerunt ſane qui otii, & luſus gratia *Mendacium*, *Peſtilentiam &c.* & alia id genus nonnulla laudarunt. Verum quum ludicre egerint, nihil pro vitiorum celebritate decernunt. Quod ſi Ariſtoteles, & vitia celebrari, & virtutes vituperari poſſe tradidit, intelligendus eſt de laude, & vituperatione ſive jocoſa, ſive comparativa, & non aliter. E. G. Laudari poteſt, ſeu minus argui, *avarus* præ rapaci, *puſilanimis* præ audaci &c.

De Laude Rerum.

Ponimus *Rerum* nomine, *Animantia ratione carentia*, *Loca*, & alia *natura effecta*.

I *Animantia Bruta*, laudantur ab iiſdem ferme argumentis, a quibus Perſonæ. *Ab externis* E. G. a genere, a pretio &c. *A bonis corporis*. E. G. a magnitudine, vel exiguitate, a pulcritudine, a colore, a viribus, a motu &c. Ab olfactu Canem, a velocitate Leporem, ab acie oculorum Aquilam &c. *A bonis* quodammodo *animi*: ſive a ſimilitudine eorum, quæ animorum noſtrorum ſunt propria. E. G. a providentia Formicam, a magnanimitate Leonem, a fide Canem, a politica Apem &c. Habet Virgilius (b) pulcherrimam Equi commendationem, a multiplici fonte petitam.

Continuo pecoris generoſus pullus in arvis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet;

(a) *Aen.* 12. (b) 3. *Georg.*

Audet, & ignoto ſe ſe committere ponti:
Nec vanos horret ſtrepitus: illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obeſaque terga
Luxuriatque toris animoſum pectus &c.

II *Loca* ſunt Regiones, Urbes, Domus, Montes, prædia &c.

1 *Regiones* commendant antiquitas, primi Cultores, libertas, regnum, leges, religio, amplitudo, ſitus, ſalubritas, amœnitas, commoditas, marium, puta, vel fluminum; ubertas frugum, & animalium; ſi maritimæ ſint, vel inſulanæ, vel montoſæ &c. alios habent laudum fontes. Campaniæ laudationem habet Florus. (*a*) *Omnium non modo Italiæ, ſed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniæ plaga eſt. Nihil mollius cœlo: undique bis floribus vernat. Nihil uberius ſolo: ideo Liberi, & Cereris certamen dicitur. Nihil hoſpitalius mari: Hic illi nobiles Portus Cajetæ, Miſenus, & tepentes fontibus Bajæ &c.*

2 *Urbes* habent communem cum Regionibus laudem. Commendantur tamen, frequentia populorum, munimento arcium, magnificentia ædificiorum, directione viarum. Si artibus, aut copiis abundent, ſi optimis legibus, & moribus præſtent &c. Ariſtides celebravit Smyrnam mirum in modum; eſt autem inter Græca opera ſatis pervulgata hujuſmodi laudatio. Florus hanc habet Tarenti commendationem. *Tarentus, Lacedemoniorum opus, Calabriæ quondam, & Apuliæ, totiuſque Lucaniæ caput: tum magnitudine, & muris, portuque nobilis, tum mirabilis ſitu, quippe in ipſis Adriaci maris faucibus poſita &c.*

3 *Domus* laudatio ducitur a ſitu, a figura, a materie, a ſtructura, ab amplitudine, ab area, ab atrio, a porticibus, a cubiculis &c.

Ab iiſdem capitibus, *Templa* laudati poſſunt. Virgilius hinc Didonis Templum, ac Latini ædes magnifice exornat. (*b*)

4 *Montes* vero, altitudo, facilis adſcenſus, ſtirpium productio, regionum proſpectus, mirabilium ortus, præcipue illuſtrant. Atlantem Maro, (*c*) celſiſſimum montem, carminibus honeſtavit. (*d*)

L 2 5 Pra-

[*a*] *Lib. 1. ca. 16.* [*b*] *Aen. lib. 1. & 7.*
(*c*) *Aen. 4.* [*d*] *Lib. 4.*

5 *Prædia* demum a fertilitate, a cultura illuſtrantur. Præſtant ſi irrigua, ſi ſuburbana, ſi ampla. Cicero laudat *ab opportunitate* prædia Roſcii Amerini. Villam ſuam Catullus vituperat a *Longinquitate*; quod *ad millia quindecim, & ducenta &c.*

III *Natura effecta* ſunt: Fontes, Flumina, Lapides, Metalla &c. Verum ex dictis ſatis erui poteſt, quo valeant & iſta laudari. Extat Oratio Ariſtidis de laudibus Putei Æſculapii.

CAP. II.

De Genere Deliberativo.

I *GEnus deliberativum* in quonam poſitum eſt?

1 Poſitum eſt in *ſuaſione*, & *diſſuaſione*, quemadmodum ſuperius diximus. Eſt autem ſuaſio *faciendorum explicatio*: Diſſuaſio autem *explicatio vitandorum*.

II Quinam ſunt modi ſuadendi?

2 Sunt: Exhortatio, monitio, petitio, conſolatio, precatio, & commendatio. His enim, ad aliquid faciendum, aliquem nitimur commovere.

III Quinam ſunt diſſuadendi modi?

3 Sunt: Dehortatio, Objurgatio, Deteſtatio; interdum Deprecatio, & Vituperatio.

IV Quænam ſuadenda ſunt, vel diſſuadenda?

4 Omnis ſuaſio, vel diſſuaſio reſpicit rem *contingentem*, quæ ad nos referri poteſt, & quæ in noſtra poteſtate poſita eſt. E. G. ſi Orator Auditores hortetur, ut criminum veniam implorent, res eſt *contingens*, & Auditores ſpectat, & in eorum arbitrio locata. Interdum Res, circa quam Deliberatio verſatur publica eſt, ut ſi de Patria defendenda agatur. Interdum privata, ut ſi de alicujus valetudine ſermo ſit. Ariſtoteles in publica deliberatione ad quinque capita redegit res *contingentes*, nempe ad vectigaglia, bellum, pacem, cuſtodiam regionis, annonam, & leges ferendas. Verum de his nihil nos ſingillatim. In *privatis cauſſis* tot accidunt, quot ſunt hominum negotia, de quibus

bus nihil peculiare aſſignari poteſt. Sive autem publica ſint, ſive privata, ea certis quibusdam argumentis oportet in animum induci, de quibus in præſentia.

De argumentis ad ſuadendum, vel diſſuadendum.

I Undenam eruuntur argumenta *ſuaſionis*, vel *diſſuaſionis*.

1 Docet Cicero in partitionibus, illud in cohortando propoſitum Oratori eſſe debere, ut ſcilicet doceat, qua vi bona conſequi, & mala vitari poſſunt. Nemo enim agit niſi boni ſpecie illectus: Propterea proponendum eſt bonum ut alliciat; malum ut retrahat. Argumenta igitur omnia a Bono, & a Malo oriuntur.

II Quot ſunt boni genera?

2 Tria cum Tullio ponimus. *Honeſtum*, *Utile*, *Delectabile*. Ab his potiſſimum argumenta oriuntur. Tamen facilitatis cauſſa ad plura capita extendimus: quæ tamen, vel ad illa reducuntur, vel parum ab iis ſunt diſſita. Sunt autem.

I *Legitimum*, ſeu teſtimonium a lege petitum. Sub hoc, in re ſacra, ponimus divinas Litteras, Patrum placita, conſuetudines, traditiones &c. Profecto quod Lex jubet faciendum eſt.

II *Honeſtum*, ſeu cum Virtute conjunctum. Demonſtrabis Rem, puta eum *Æquitate* in promiſſis, pactis, meritis, officiis conſentire &c. Vel cum *Pietate* in Parentes, Amicos, Pares &c. Vel cum *Religione* in Deum, ac divina, in Divos &c. Quo quid honeſtius & pulcrius eſſe poteſt?

III *Utile*, ſive id, quod cum proventu, & fructu accidit. Suadebimus recenſendo emolumenta, quæ a Re ſperari poſſunt, puta ſecuritatem, commoditatem, copias, divitias, dominationem, præmia &c. Tractari autem poteſt hic fons, & *conſiderando quid conſecuturum ſit, ſi negotium ſuſcipiatur*, & *exponendo quid ſit futurum, ſi negligatur*.

 IV *Poſ-*

IV *Poſſibile*, ſive id, quod in noſtra poteſtate poſitum eſt. Eſt fons optimus, nam fruſtra id ſuadetur, quod fieri non poſſe creditur. Oſtendes rem in poteſtate Auditoris poſitam, a naturali ejus facultate, ab adjumentis, quæ illi accedunt, ab opportunitatibus, quæ ſe illi offerunt. Adiicies eum ſimilia egiſſe, difficiliora viciſſe, pejora paſſum eſſe &c. Sic Virgilius. [a] *O paſſi graviora, dabit Deus his quoque finem &c.*

V *Facile*, ſive id quod levi negotio obtineri poteſt. Rem probabis nullo, aut ſatis tenui labore ſuſcipi, levi ſumptu perfici, ſine moleſtia tractari, brevi confici: circumſtantias Perſonarum, temporum, locorum, auxiliorum faventes præberi &c.

VI *Neceſſarium*, ſive id, ſine quo aliud eſſe nequit, vel id, quod eſſe oportet. Magna eſt hujus loci vis: Sunt enim animi nonnullorum adeo ſegnes, ut neque honeſtate, neque utilitate, neque aliis argumentis moveantur. Apud hos neceſſitatis ratio vim habet: Eſt autem *neceſſarium* aliud abſolutum, quod ſcilicet nullo humano conſilio mutari poteſt, ut hominem oportet mortalem eſſe: aliud eſt *neceſſarium cum conditione*; ut arma ad pugnam requiruntur. Suadebis affirmando, Rem aliter eſſe, aut fieri non poſſe. Nullum patere effugium, Præſidia deeſſe. Agi de victu, veſtitu, tecto, vita, interitu &c. Cicero egregie. (b) *Agitur enim non qua conditione victuri, ſed victuri ne ſimus, an eum ſupplicio, ignominiaque victuri*. Significavit neceſſario eſſe vincendum.

VII *Jucundum*, ſeu quod voluptatem affert. Allicies ad Rem, probando animum ea recreari, voluntatem trahi, memoriam refici recordatione præteritorum, delectari ſpe futurorum, præſentium fruitione beari: ſuam non defuturam corpori felicitatem &c. Vel in Re, quam ſuades, poſitam demonſtrabis quietem, ac ſatietatem, hilaritatem, lætitiam, novitatem, mentis, animorumque conſenſionem &c. Tullius (c) *Hoc velim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis a te proviſum eſſe intellexero, magnam te ex eo, & perpetuam voluptatem eſſe capturum*.

VIII

[a] *Aen.* 1. (b) *Philipp*. 4.
[c] *Lib.* 3. *Ep.* 2.

VIII *Glorioſum*; ſeu quod gloriam parit. Habet hic locus magnos ſtimulos; propterea Rem dices, ſi ſuſcipiatur, decoram, atque honorabilem: Nomen inde, ac celebritatem ortum iri, & perpetuam cum laude commemorationem: Eum qui ſic egerit, omnibus in pretio futurum, & admiratione, Honores ei publicos decernendos, Templa, Aras, Supplicationes, Carmina, Dies feſtos, Monumenta litterarum, Imagines, Statuas, Singularia dona, Sepulcra &c.

Cicero inducit Milonem ſibimet exilium ſuadentem, *a glorioſo* in hunc modum. *De me ſemper populus Romanus, ſemper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmuteſcet ætas: Quin hoc tempore ipſo, quum omnes a ſuis inimicis faces invidiæ meæ ſubjiciantur, tamen omni in hominum cætu gratiis agendis, & gratulationibus habendis, & omni ſermone celebramur. Omitto Hetruriæ feſtos, & actos, & inſtitutos dies &c.* Ad gloriam pertinet, quod idem alii fecerint Viri celeberimi. Sin nulli præierint; hoc ipſum glorioſius, quod primi, quod ſoli, vel cum paucis, præclarum aliquid moliti ſimus.

Voſſius poſtremo loco addit *Eventum*, tanquam locum ad perſuadendum aptiſſimum. Eſt autem Dilemma ad oſtendendum, quocunque res vertat, id tamen, quod ſuadere nitimur, eſſe faciendum. Revera hic locus a ceteris non diſtinguitur; Etenim in utramvis partem res cedat, ea erit, vel utilis, vel jucunda, vel honeſta, vel glorioſa &c. Sed quum ſit modus quidam peculiaris proponendi utilitatem, honeſtatem, jucunditatem &c. Hinc puto *Eventum* pro peculiari argumentorum fonte a Voſſio fuiſſe propoſitum. Ceterum, ad *Neceſſarium* pertinet.

Ex dictis apparet quanam ſint argumenta ad diſſuadendum. Sunt enim oppoſita iis, quæ retulimus, videlicet. Illegitimum, Inhoneſtum, Inutile, Impoſſibile, Difficile, Moleſtum, Turpe.

De uſu argumentorum in ſuadendo, vel diſſuadendo.

I OMniſne ſuaſio capere debet argumenta ab univerſis locis, quæ attulimus?

1 Omnis ſuaſio eruere debet rationes ab iis fontibus, qui ſunt ipſi maxime opportuni. Neque enim ad omnem cauſſam vel omnia, vel eadem faciunt argomenta. Interdum enim quod eſt honeſtum, non eſt facile, non eſt neceſſarium; quod utile, non eſt honeſtum &c.

II Qua igitur ratione argumenta eligentur?

2 Eligentur præcipue ſervata ratione cauſſæ, & Perſonarum, apud quas agimus. Quod ad cauſſam attinet, illud redit, quod mox dicebamus: videlicet non omni cauſſæ omnem ſuadendi locum convenire. In hoc requiritur Oratoris judicium. Cicero in Oratione Maniliana omnibus propemodum uſus videtur, nam ea facile argumentum ferebat.

3 Quod attinet ad perſonas, prudentia opus eſt. Videndum eſt Oratori quibuſcum agat, ut ad eorum auctoritatem, opinionem, doctrinam, morem temperet, & accomodet Orationem. Alia enim ratione cum Regibus, & Principibus Viris, alia cum Optimatibus, alia cum Nobilibus, & Sapientibus, alia cum Rudibus, & de plebe hominibus. Principes, Nobiles, Sapienteſque Viri ſemper præferunt Dignitatem, Honeſtatem, Gloriam utilitati. Rudes, atque ignobiles utilitatem, aut voluptatem honeſtati anteponunt: interdum ſola neceſſitate pelluntur.

4 Conſideranda inſuper. *Natio*, *Sexus*, *Habitus*, *Ætas*, *Fortuna &c.* Nam alia Itali, alia Hiſpani, alia Galli appetunt. Aliud Virum, aliud Feminam movet: Aliud bene morati cupiunt, aliud improbi, & impoliti: Aliis Pueri, aliis Viri, aliis demum Senes trahuntur: alia via divites, alia nobiles, alia potentes, alia pauperes, atque humiles in deliberationem veniunt. Oportet igitur morum doctrinam didiciſſe, quam nonnulli hoc loco ponunt: ab ea tamen nos abſtinemus, quæ uſu magis, & conſuetudine, quam præcepto, & expoſitione percipitur.

Singuli fontes ſuaſionis, de quibus egimus, ferme per omnia loca argumentationis tractari poſſunt. Fac te velle Caſtitatem ab honeſto *ſuadere. Dic a Definitione*, Corporis puritatem ſe ipſa pulcram eſſe; *a contrario*, turpiſſimam rerum omnium impudicitiam; *ab effectis*, ſimillimum ſpiritibus hominem efficere; *a ſimili*, Victoris militis in modum rebelle corpus domare; *a comparatione*; Nullam gemmam eſſe iſta pretioſiorem, nullum florem pulcriorem; ab exemplo, Tot fuiſſe, qui eam coluerunt per omnium ora celeberrimos: Joſeph &c. *Eadem ratione, ceteri fontes per topicos locos amplificari poſſunt. Praeterea in ſuaſionibus interdum licet excurrere* a quæſtione finita *in quaſtionem infinitam*: E. G. ſi probare velis Urbem tuam novis munitionibus eſſe inſtruendam, *licebit generatim agere* de utilitate munitionum, de Urbibus muniendis &c.

CAP. III.

De Genere Judiciali.

I QUem uſum habet Genus Judiciale?

1 Habet in accuſationibus, ac Defenſionibus, in quibus Veteres potiſſimum hac Orationis forma utebantur: ſed & in præſens aliquibus in Regionibus, viget, ac potiſſimum in Venetorum præclariſſima Republica, ad accuſandum item, & ad defendendum. Interdum & in Regio Mediolanenſi Senatu. Ceterum ubique in defendendo potiſſimum locum habet: nuſquam enim gentium defendendi jus Reo interdicitur. Defenſiones autem, quamvis Oratorio modo non fiant, verſantur tamen in hoc genere, & iis locis utuntur, quæ ad depellendum crimen, ſive purgandum, ſive minuendum, ſive in alium aliquem detorquendum ducunt; propterea ut in ipſa defenſione aliqua interdum accuſationis ſpecies reperiatur. Immo accuſatio ipſa locum habet non raro apud Sacros Oratores, ut Improbos arguant; eos vero potiſſimum, qui excuſationes in peccatis obtendunt, tum vero [ut Chriſtus Servator ajebat] *excuſationem non habent*.

II Sunt-

II Suntne ullæ dicendi rationes, quæ huic generi ſubjiciantur?

2 Subjiciuntur huic generi Comminationes, Invectivæ, Delationes, Obteſtationes, & Apologiæ.

III Quibus utitur argumentorum fontibus Judiciale Genus?

3 Fontes argumentorum pro vario hujus generis Cauſſarum ſtatu varii ſunt. Propterea afferri nequeunt, niſi generatim varii Quæſtionum ſtatus diſtinguantur, qui tamen non ſolius generis Judicialis ſunt, ſed omnium generum; tamen ſub Judiciali a nobis eo ponuntur, quod in hoc potiſſimum eorundem notitia requiratur.

IV Quid eſt Status?

4 Status, qui a Tullio dicitur *conſtitutio*, eſt ex eodem *in partitionibus*, Prima cauſſarum conflictio: ſeu *quæſtio a prima cauſſarum conflictione proveniens*. E. G. in cauſſa Roſcii, Accuſator contendit. *Roſcius Patrem occidit*. Defenſor contra obſtat. *Roſcius Patrem non occidit*. En conflictionem. Oritur igitur quæſtio. *Utrum occiderit*. In Cauſſa Milonis, Accuſator objicit. *Milo occidit Clodium*. Defenſor reponit. *Milo occidit Clodium, ſed jure occidit*. Oritur diſceptatio. *Jure, an injuria occiderit*. In cauſſa Mithridatici belli contendit Cicero. *Expedit ſolum Pompejum præfici*: Hortenſius objicit *non expedire*. Quæritur *an expediat*. Hic dicitur *Status*, nam in hoc ponitur, ſeu ſtatuitur controverſia.

V Quotuplex eſt ſtatus Quæſtionum?

5 Triplex aſſignatur ob eam rationem, quam habet Ariſtoteles, videlicet quod tria de qualibet re propoſita inveſtigari poſſunt. *An ſit? Quid ſit? & Qualis ſit?* Primo modo quæritur *de exiſtentia*. Secundo *de natura, ſive eſſentia*. Tertio *de attributis, ſive qualitate*. Exiſtentia inveſtigatur per *conjecturam*. Eſſentia per *Definitionem*. Qualitas per *Rationem*. Hinc alius eſt Status *Conjecturalis*, alius *Definitionis*, alius *Rationalis*, ſeu qualitatis. Nonnulli addunt *Statum Quantitatis*, qui circa magnitudinem rei verſatur. Tamen rei magnitudo ad qualitatem reducitur; propterea in iis tribus cum Tullio ſiſtimus. Verum de his ſingillatim.

De

De Statu Conjecturali, & opportunis ad eum Argumentis?

I Quid eſt Status conjecturalis?

1 Eſt *probatio rei incerta ex ſigno, & ſuſpicione*, ſive de præſenti quæratur, ſive de præterito, ſive de futuro. E. G. *An fur ſurreptum argentum celet:* en de præſenti conſtitutionem. *An Cœlius paraverit Clodia venenum*: en de præterito. *An Antonius ſit in Remp. conſpiraturus*: en de futuro; Vel in re Sacra. An qui pœnitentiam diſtulit, mox fatendo crimen ſit veniam conſecurus. An qui pœnitentiam in mortem transfert, ſit gratiam impetraturus. An qui ſponte in periculo violandæ legis verſatur, ſe immunem a culpa putare poſſit.

II Argumenta ad probandum undenam deducuntur?

1 Ex triplici capite: ſcilicet ex *Cauſſa*, ex *Perſona*, ex *Facto*: ab his enim, ut Tullius docet [a] *omnis conjectura capienda eſt*.

De Conjecturis ex Cauſſa.

Cauſſæ, quæ conjecturas gignunt ſunt *Efficiens* & *Finis*. Utramque ſingillatim exponemus: ſunt autem.

I *Voluntas*. Nam aliquid factum a quopiam probatur, ſi eum id voluiſſe demonſtretur. Voluntatem probant *dicta ejuſdem*, *comminationes*, *ſpontanea cum Amicis de facto collocutiones*, *jactationes &c.*

II *Impulſio voluntatis*. Hoc argumentum fulcit plerumque ſuperius. Impellunt autem voluntatem ea, quæ ipſam antecedunt. Sunt autem motus fortiores, qui per quamdam affectionem animum inclinant. *Amor*, *Iracundia*, *Odium*, *Inimicitia*, *Invidentia*, *Ægritudo*, quam *Melanconiam* dicunt, & alia hujuſmodi, quorum magna eſt vis ad impellendum, turbandum, in præceps trahendum animum, & voluntatem. Cicero (b) a Cauſſa impellente, *Odio* videlicet, probat Clodium ſtruxiſſe inſidias Miloni. *Ille erat ut odiſſet primum defenſorem ſalutis meæ, deinde vexatorem fure-*

(a) *lib. 2. de Invent.* (b) *Pro Milone.*

III *Argumentum Voluntatis*. Hoc multiplex eſt, & à Fine potiſſimum petitur. Præcipuum locum habet *Utilitas*, ſeu quæ adipiſcendi commodi, ſeu incommodi vitandi cauſſa voluntatem ducit. Afferri poſſunt etiam *Honeſtum*, *Jucundum*, *Glorioſum*, de quibus egimus in Genere deliberativo. Ut enim his ſuademus aliquid capeſſendum, ita iiſdem argumentamur aliquid animum ſuſcepiſſe. Pertinet præterea ad hunc fontem, *Impunitatis ſpes*, nam facile injuriam faciunt, qui Rem *aut celari*, *aut nulla*, *aut levi pœna punitum iri* putant. Conjicies *celandi criminis ſpem* in eo, qui ante flagitia ſua occultaverit, qui nulla ante infamia laboraverit, qui crimini impar putetur, qui nullum comitem habuerit &c. *Spem evadendi aut ſine*, *aut cum levi pœna* argumentaberis, ſi Reus, agendi dexteritate, dicendi copia, forenſi exercitatione, Judicum amicitia, facultatum vi, Potentum auxilio polleat &c. Si eum offenderit, qui copiis, Amicis, viribus careat, qui pavidus, iners, peregrinus, plebejus &c. Cicero *in Miloniana* tractat mirifice hunc fontem: ab *utilitate: Satis eſt*, inquit, *in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei cauſſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam; magnas utilitates fuiſſe &c.* ab eodem *pro Sex. Roſc. Amerino* pulcherrime crimen detorquet in Erutium, & Sex. Roſcium purgat: *Reſtat, Judices, ut hoc dubitemus uter potius Sex. Roſcium occiderit is, ad quem morte ejus divitiæ venerint, an is ad quem mendicitas: is qui antea tenuis fuerit; an is qui poſtea factus eſt egentiſſimus, is &c. & a ſpe impunitatis* ubi inferius: *Quis ignorat maximam illecebram eſſe peccandi impunitatis ſpem? &c.*

De Conjecturis ex Perſona.

Circa Perſonam ea conſiderari poſſunt, quæ in Genere Demonſtrativo innuimus: videlicet *intima*, & *externa*: intima autem, & *corporis*, & *animi*. Ab his conjecturæ oriuntur, de quibus in præſentia.

I *A corpore*. Etſi animus ſit humanorum actuum cauſſa, Corpus tamen animi eſt inſtrumentum: propterea a *Corpore ipſo* argumenta petuntur. Ad hoc pertinet, ſexus, pul-

cri-

critudo, aut turpitudo, vis, aut debilitas, ſanitas, aut ægritudo. Pueritia, Puberttas, Juventus, Virilitas, Senectus &c. Conſideratur in corpore humorum temperies, huic, vel illi animorum motui favens; iracundiæ, furori, amori, cupitati, triſtitiæ &c. Ab his conjicere licet; nam de Viro citius homicidium credi, quam de Femina ſolet: ſuas habet ad crimen illecebras corporis forma; Vigens, ac bene valens, præ imbecillo, ad nocendum promptior videtur: in Ægrotantem vix ulla cadet ſuſpicio. Pueri Innocentes creduntur; Puberes, ac Juvenes in malum ſunt procliviores. In Virum omnis cadet ſuſpicio. Senex ab ea vacat, quæ vires arguit, non quæ odium, non quæ invidentiam, non quæ avaritiam oleat &c. *Corpus* iræ, furori, amentiæ, intemperantiæ favens, conjecturam gignit eorum criminum, quæ ab illis oriri ſolent. Huc pertinet cultus ipſe corporis, aut neglectus: vulgaris, aut decens: ornatus, indecens, mollis, aut luxurioſus &c. Cicero M. Cœlium, quem Adverſarii conjecturis a Juventute ductis accuſaverant, ab ipſa Juventute excuſat, ac defendit dicens. *Datur enim conceſſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit Adoleſcentia cupiditates &c.* Et pro Roſcio Amerino Chriſoſtomum in ſuſpicionem ponit præpotentiæ ab inceſſu, & habitu corporis. *Ipſe vero*, inquit, *quemadmodum compoſito, & delibuto capillo paſſim per forum velitet cum magna caterva togatorum, videtis Judices: ut omnes deſpiciat, ut hominem præ ſe minime putet &c.* Luculentiſſimum eſt argumentum illud præ ceteris, quod pro Milone in Clodium affert. *Quum alter veheretur in rheda penulatus, una ſederet uxor, quid horum non impeditiſſimum &c.*

II *Ab Animo*. Magnam vim habent ad creandam ſuſpicionem Animi propenſiones, quæ innoteſcant; Sunt autem, virtutes, aut vitium; ſcientia, aut inſcitia; amor, aut odium; iracundia, aut manſuetudo &c. Studium, Conſilium, Habitus, Mores demum &c. Profecto vitioſi, indocti, amantes, ebrioſi, iracundi &c. facinoroſi credi poſſunt; Probi, doctique, pudentes, parci, manſueti, & a cupiditatibus alieni, innocui putandi ſunt. Vim habet maximam aſſidua in rem aliquam magna cum voluntate occu-

occupatio. Item anteactæ vitæ ratio, & ſimilia agendi conſuetudo, argumento eſt ad conjectandum graviſſimo. *In Avarum* furti, damnive ſuſpicio cadet; *In Ambitioſum* calumniæ, aut præpotentiæ; *In Mollem, & Luxurioſum*, adulterii, aut impudicitiæ; *In Facinoroſum*, homicidii ac ſeditionis &c. Multo autem magis, ſi hujuſmodi in ſimilem ante ſuſpicionem venerint. Tullius (*a*) Manilium in ſuſpicionem ponit ab *anteacta vita* ratione: *Manilium plerique noratis. Non ille honorem a pueritia, non ſtudia virtutis, non ullum exiſtimationis bona fructum unquam cogitarat, ſed ex petulanti, atque improbo ſcurra &c.* Et pro Milone *a conſuetudine* in Clodium argumentatur, & Milonem purgat Ironia uſus. *Reliquum eſt, ut jam illum natura ipſius, conſuetudoque defendat: hunc autem hac eadem arguat. Nihil per vim unquam Clodius &c.* Ab eodem fonte defendit Roſcium. *Prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad hujus innocentiam poterat eſſe; in ruſticis moribus, in victu arido, in hac horrida, incultaque vita, iſtiuſmodi maleficia gigni non ſolere &c.* Proſequitur multis, quæ legi ibidem poſſunt. Contra eadem Oratione in Erutium ſuſpiciones auget dicens. *Ubi multa avare, multa audacter, multa improbe, multa perfidioſe facta videtis, ibi ſcelus quoque latere inter illa tot flagitia putatote.*

III *Ab Externis*. Externa ſunt, Patria, Majores, Conſanguinei, Societas, Amicitia, Educatio, Fortuna, Fama, Nomen, vel Agnomen &c. *A Patria* mores vel probos, vel improbos aliqua ratione argumentamur. Græci mendaces ſunt habiti, Lacedemones parci, Friges luxurioſi. *Majorum, & affinium virtutes, aut vitia* in Conjunctos, & Poſteros derivantur. Vim habet maximam Societas, & Amicitia. Bonum eſſe qui proborum hominum, perditum vero, qui improborum conſuetudine utatur, certiſſima propemodum eſt conjectura. Item in agendo *Societas* valet. Quod ſolus nequeas ſociatus potes; quod ſolus metuas, ſociatus aggrederis. Multum intereſt apud quos, & a quibus educatus, & eruditus ſit aliquis. A fortuna naſcuntur argumenta. De ignobili furtum non de Nobili creditur, item de paupere citius, quam de pecunioſo. Refert

(*a*) *Pro A. Cluent.*

fert ad conjectandum; an quis privatus, an vero cum poteſtate ſit, aut fuerit, aut futurus ſit. Agnomen, quamvis nihil boni, malive plerumque ſignificet, accidit tamen a moribus interdum trahi. Propterea, vel bona hominis fama, vel improba dignoſci poteſt. Fama autem, aut infamia efficax eſt conjecturæ fulcimentum. Ab infamia auctorem Roſciani homicidii Tullius Capitonem probat. *Audi præterea non hanc ſuſpicionem nunc primum in Capitonem conferri; multas eſſe infames palmas &c.* Et pro Flacco Teſtibus fidem derogat, a *Natione;* videlicet quod *Græci* ſint. *De iis ipſis alios teſtes audiſtis? At quos teſtes? Primum dicam id quod eſt commune, Grecos..... Veruntamen hoc dico de toto genere Græcorum. Tribuo illas litteras &c. Teſtimoniorum Religionem nunquam iſta Natio coluit.* Accuſat Chryſoſtomum *a divitiis*, & *potentia*, & contra a *tenuitate*, & improbitate *fortunæ* Roſcium Amerinum tutatur. *Unum illud ſpectavi, quod Chryſogonus ajebat neminem iſti Patronum futurum; De bonorum emptione, deque ea ſocietate, neminem eſſe, qui verbum facere hoc tempore auderet &c.*

De Conjecturis ex Facto.

FActum alia antecedunt, alia comitantur, alia ſubſequuntur. Quæ antecedunt gignunt conjectures pro voluntate, ſeu *cauſſa;* ut ſunt minæ, convicia, ſimultates, rixæ &c. De his ſuperius, nunc de reliquis agemus.

I *Comitantia* ſunt præcipue *locus*, ac *tempus*. Habent enim hæc quandam ad gerendum negotium opportunitatem. Capitur opportunitas a loci amplitudine, aut anguſtia, a propinquitate, vel longinquitate, a ſolitudine, vel frequentia, a loci ipſius idonea ad rem natura. Intereſt rei, ſi locus ſacer, ſi profanus, ſi publicus, ſi privatus, ſi alienus, ſi proprius. Inſidiæ E. G. in auguſto potius, remoto, & invio loco fiunt: vix in edito, publico, aut ſacro. Ei loco Inſidiator fidit, quo ſe tutum parietibus, clauſum domi, aut ſuo ſe in fundo videt. Diurnum tempus inopportunum multis putatur, quibus nocturnum favet. Alia vere, aut æſtate moliri licet, alia hieme impediuntur. Temporis etiam

etiam longitudo, aut brevitas conſiderandæ ſunt: Nam multitudo rerum, aut magnitudo negotii, vix brevi tranſigi poſſunt. Videndum num, quo res accidit, dies feſtivus ſit, ſolemnis, nuptialis convivialis, feriatus &c. Aliquando ipſa diei tempeſtas apta erit ad conjecturam; an fuerit ſerenum cælum, an pluvium, an nubilum: Utrum nox tenebroſa, an luna illuſtris &c. Tullius pro Milone conjecturas capit a loco. *Videamus nunc id, quod caput eſt, locus ad inſidias ille ipſe, ubi congreſſi ſunt utri tandem fuerit aptior? Ante fundum Clodii; quo in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones, facile mille hominum verſabantur valentium &c.* & a tempore. *Videte nunc illum primum egredientem e villa ſubito. Cur veſperi? quid neceſſe eſt? quid convenit præſertim id temporis &c.*

II *Subſequentia*: ſive indicia facti ipſius. Sunt autem aliquando, laſſitudo, timor, fuga, pallor, titubatio; lætitia, tripudiatio, tranquillitas. Notandum poſt factum, quid quis dixerit, egerit, prætermiſerit; Ex his enim licet aliquando factum argumentari. Forte accidit impreſſum veſtigiis deprehendi pavimentum, cruentum reperiri gladium, pallium, aut veſtem, aut ſcriptum, ubi aliquid geſtum eſt, inveniri. Attendendum circa factum etiam *rumori* vulgi, *opinionibus* cordatorum, *conjecturis* callidorum *Teſtium* affirmationibus &c. Cicero *Orat* 3. *in Catilinam* ita ab *Indiciis* de Conjuratis argumentatur. *Ac mihi quidem, Quirites, quum illa certiſſima viſa ſunt argumenta, atque indicia ſceleris, tabellæ, ſigna, manus &c. tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas: ſic enim obſtupuerant, ſic terram intuebantur, ſic furtim nonnunquam inter ſe adſpiciebant, ut non jam ab aliis judicari, ſed ipſi a ſe viderentur.* Et pro Milone. *Recordamini per Deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus ejus, qui ingreſſus in forum ardente Curia, quæ Magnitudo animi, qui vultus, quæ Oratio: neque vero populo ſolum, ſed etiam Senatui tradidit &c.* concludit autem: *Magna vis eſt conſcientiæ, Judices &c.* Et in Peroratione. *Nolite ſi in noſtro omnium fletu nullam lacrymam adſpexiſtis Milonis, ſi vultum ſemper eundem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem, ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere &c.*

De Statu Definitivo.

I Quid eſt Status Definitivus?

1 Eſt: *De vi nominis controverſia*, ſeu quæſtio qua agitur, num rei alicui hoc, aut illud nomen conveniat; Proteprea quid ea ſit quæritur. E. G. an furtum, an ſacrilegium, an parricidium &c. Oratio Ciceronis pro Cæcina in hoc ſtatu verſatur; quæritur enim *an Ebutius*, vim *fecerit Cæcina;* quod Tullius contendit.

II Quænam ſunt ad hunc ſtatum argumenta opportuna?

2 Unicus locus eſt *Definitio.* Oportet enim Oratorem ita agere, ut Rei, de qua quæritur natura, vel ipſi convenire, vel non convenire oſtendatur. Tamen aſſignatur a Tullio (a) certus quidam hunc ſtatum tractandi modus; eſt autem.

I *Nominis cum ratione explicatio.* Igitur definienda res eſt, & rationes adjungendæ cur ea ſic definiatur: ita nomen illud ex hominum opinione intelligi: ita graves Doctores explicuiſſe, quorum dignitas, & auctoritas ornari poterit: ita rei naturam poſtulare &c. Nomen autem ea ratione explicandum eſt, quæ Oratori maxime faveat, ſive accuſet, ſive defendat. Huc reccurrunt modi definiendi, de quibus quum de Elocutione ageremus, ſermo fuit. Cicero in laudata Oratione. *Non ea ſola vis eſt, quæ ad corpus noſtrum, vitamque pervenit, ſed etiam multo major ea, qua periculo mortis injecto, formidine animum perterritum loco ſæpe, & certo de ſtatu dimovet &c.* Et inferius. *Omnis enim vis eſt, qua periculo, aut decedere nos aliunde cogit, aut prohibet accedere.*

II *Facti cum explicatione comparatio.* Comparatur enim cum definitione res, de qua agitur, ut videatur num ei tale nomen conveniat. Oſtendit autem Orator, ſi accuſet, cum ea convenire, aut ab ea longe diſcerni, ſi defendat. Hic habet locum amplificatio per locos, a quibus *accuſando* Res augeatur, & indignationem pariat: defendendo extenuetur, & miſericordiam conciliet, aut benevolentiam. Utroque modo Orator dolet, aut indignatur, nominum ſignificatio-

(a) *Lib. 3. de Invent.*

cationes perverti : abuti nonnullos rerum ſignificationibus, aut eas temere commutare. Cicero in ea Oratione pluribus oſtendit vim factam ab Ebutio. *Eſt hac res poſita, qua ab Adverſariis non negatur: Cacinam quum ad conſtitutum diem, tempuſque veniſſet, ut vis ac deductio moribus fieret, pulſum, prohibitumque eſſe vi, coactis hominibus, & armatis: quum hoc conſtet &c.* Inferius vero. *Dici in hac cauſſa poteſt, ubi arma fuerint, ubi coacta hominum multitudo, ubi inſtructi, & certis locis cum ferro homines collocati, ubi mina, pericula, timoreſque mortis, ibi vim non fuiſſe?*

III *Definitionis oppoſita infirmatio.* Oportet Oratorem ita veritatem ſuæ definitionis tueri, ut oſtendat alterius falſitatem. Infirmabit igitur Adverſarii definitionem: ab *hominum opinione*, qui aliter ſermocinando, & ſcribendo, eo verbo ad ſignificandum utantur: a *turpi*, aut *inutili*, aut ab *incommodis*, quæ eo conceſſo conſequentur. Hic locus eſt comparationi, qua noſtræ definitionis veritatem, honeſtatem, utilitatem oſtendamus; longe vero aliter de eorum explicatione ſentiendum. Pro Cæcinna Tullius. *Dejicior ego, inquit, ſi quis meorum dejicitur. Omnino jam bene agis: a verbis enim recedis, & aquitate uteris. Nam verba ipſa ſi ſequi volumus, quomodo tu dejieceris, quum ſervus tuus dejicitur? Verum ita eſt, uti dicis, te dejectum debeo intelligere &c.* Et a turpibus confectariis: *Videte*, inquit, *ne hoc vos ſtatuatis, qui vivus diſceſſerit, ei vim non eſſe factam &c.*

IV *Similium collectio.* Prodeſt ad confirmandam definitionem nonnulla colligere, quæ illius veritatem manifeſtent. Quæremus autem res, quæ aut majori, aut pari in negotio, ſimiles noſtro ſint, & noſtræ deſcriptionis veritatem comprobent. Proderunt ſententiæ Judicum in ſimilibus latæ. Proderunt rerum geſtarum exempla, & alia hujuſmodi. Mirifice Tullius pro Cæcinna. *Quaro ſi te hodie domum tuam redeuntem coacti homines, & armati, non modo limine, tectoque adium tuarum: ſed primo aditu, veſtibuloque prohibuerint, quid acturus ſis? &c.* Proſequitur oſtendens, vim ſibi illatam putaturum, propterea & Cæcinæ vim factam fuiſſe. Inferius item. *Hoc quidem jam vetus eſt, & majorum exemplo multis in rebus uſitatum, quum ad vim fa-*

cien-

eiendam &c. Oſtendit judicatum fuiſſe *vim factam*, ſi probatum fuerit adfuiſſe armatos; & infert, multo magis vim Cæcinæ illatam, qui armatorum impetu pulſus fuit. *Ita ne vero, ſcire armatos, ſatis eſt, ut vim factam probes: in manus eorum incidere non eſt ſatis? &c.* Locus optimus.

De Statu Qualitatis.

I Quid eſt Status Qualitatis, & quotuplex?

I Eſt *Quæſtio de Qualitate rei.* Dicitur etiam *conſecutio*, & ſtatus *Generalis*. Verſatur circa futurum, & circa præteritum. Circa futurum pertinet ad Genus Deliberativum, & dicitur Status *Negotialis*, de quo nihil in præſens, nam ſatis paragrapho ſuperiore dictum. Circa præteritum, dicitur Status *Juridicialis*, & Rationalis. Quum autem ratio intima affertur, unde aliquid jure factum affirmetur, *Abſolutus* dicitur: quum vero rationes extrinſecus aſſumuntur, ut aliquid defendatur, dicitur *Aſſumptivus*. E. G. ſi quis hominem occidiſſe fateatur, eo ſe defendens, quod jure fecerit, *nam ille fuit injuſtus aggreſſor*; Hic in ſtatu *abſoluto* verſatur. Sin vero ſe tueatur, quod juſſu alterius feciſſe affirmet, in ſtatu *aſſumptivo* erit quæſtio.

Capita Argumentorum in Statu Abſoluto.

I *Natura* primum eſt argumentorum caput. Quod enim natura nos docet, id fieri a nobis licet. Cicero pro Milone hunc locum tractat celebri illa amplificatione. *Eſt enim hæc, Judices, non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus; ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias &c.*

II *Lex* eſt alter argumentandi locus; Lex enim, aut una, aut multiplex affertur, quæ illud, aut jubeat, aut permittat, de quo diſputatur. Cicero probat Archiam jure Civem Romanum eſſe, quia lege Syllani, & Carbonis civitate donatus eſt. Idem affert pro Milone, legem duodecim Tabularum, quæ *nocturnum furem quoquo modo, diurnum, ſi ſe telo defenderit, interfici impune concedit.*

 III Con-

III *Conſuetudo*, quæ vim legis habere dicitur, ſi conſtans, & vetuſtiſſima ſit, jus creat agendi aliquid. Tullius eadem Oratione contendit in more poſitum, ut quis factum aliquid fateatur, de quo, jure nec ne geſtum ſit diſputatur: quo probet non obeſſe Miloni quod a ſe Clodium occiſum dicat.

IV *Judicatum*, videlicet, aut ſimili, aut eadem in quæſtione lata Judicum ſententia maxime favet. In præclariſſima Milonis defenſione graviſſimum argumentum per inductionem *Judicatorum* affertur. *In qua tandem Urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? Nempe in ea, qua primum judicium de capite vidit M. Horatii fortiſſimi Viri, qui nondum libera Civitate, tamen Pop. R. comitiis liberatus eſt, quum ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur &c.* Adfert præterea judicium P. Africani, Ahalæ Servilii, P. Naſicæ, L. Opimii, C. Marii ſimilibus in cauſſis &c.

V *Æquitas*, quæ dicitur ſupplementum legis, eſt judicium de eo, quod quanquam in lege ſcriptum non ſit, tamen in Legiſlatoris conſilio, & voluntate fuiſſe putandum eſt. Hæc favet, vel obeſt maxime, ſi juxta, aut contra æquitatem res facta oſtendatur; Lex eſt; *Peregrinum murum Urbis aſcendentem interfici debere*. Si Peregrinus aſcenderit, Urbis tamen defendendæ gratia, æquum eſt eum abſolvi. Tullius in Miloniana. *Quid comitatus noſtri, quid gladii volunt, quos habere certe non liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret.*

VI *Pactum* eſt poſtremus locus abſolutæ conſtitutionis. Nam ſi contra datam fidem Reus egiſſe probetur, is injuria feciſſe conſtat; jure autem, ſi promiſſis, & pactionibus ſteterit. Notum eſt illud axioma. *Volenti, & conſentienti non fit injuria.*

Capita Argumentorum in Statu Aſſumptivo.

I *Comparatio* eſt caput defenſionis, quo factum confertur cum deteriori, quod aliunde faciendum fuiſſet. Hic fons adhibetur in iis cauſſis, in quibus, aliquid mali

ſibi

ſibi neceſſarium fuiſſe reus contendit; affirmat autem ſe minus malum elegiſſe. E. G. Imperator exercitus hoſtium copiis circumventus accuſatur, *quod hoſti captivos Milites dederit*. Ille vero dediſſe reſpondet, *ne univerſi fame, aut ferro interirent*. In Miloniana Tullius contendit ſatius fuiſſe Clodium a Milone interfici, quam a Clodio Rempublicam deleri. Huc ſpectat breve illud dictum in eadem Oratione de Adoleſcente, qui ut pudicitiam tueretur, Tribunum occidit: *Facere enim probus Adoleſcens periculoſe, quam perpeti turpiter maluit*.

II *Remotio criminis*, quæ eſt rejectio culpæ in aliud, adhibetur quum Reus factum quidem fatetur, facti autem crimen, aut cauſſam, vel in aliam Perſonam, vel in aliam rem transferre contendit. Transfert vero *vel in eam Perſonam, qua malum paſſa eſt*, ut *Oreſtes* in Matrem a ſe interemptam ſcelus propterea transferebat, quod ipſa, Agamemnoma Maritum, ejuſdemque Oreſtis Patrem interfeciſſet: Vel *in ipſum Accuſatorem* id rejicit, de quo accuſatur, ut Cicero necem Sex. Roſcii, Filio attributam, in Erutium Accuſatorem, & in Criſogonum hujus Fautorem refundit. *Et pro Scylla* transfert in Torquatum crimen crudelitatis, cujus ipſe Scyllam arguebat. Interdum aliquis fatetur culpam, ſed *juſſu, vel cauſſa alterius* feciſſe, aut occidiſſe &c. Interdum Rem aliam criminamur: puta Legem contrariam, Conſuetudinem &c.

III *Confeſſio criminis*, qua non factum defenditur, ſed excuſatur voluntas: fit *purgatione, & deprecatione*. Purgatur crimen primo, ab *Imprudentia*, qua quis, aut incaute, aut ignoranter egiſſe inquit. Cicero ab hoc capite purgat eos, qui a Pompejo contra Cæſarem ſteterant, de quibus ita *pro Marcello*. *Non ille hoſtes induxit in Curiam, ſed judicavit a pleriſque, ignoratione potius, & falſo, atque inani metu, quam cupiditate, aut crudelitate civile bellum eſſe ſuſceptum*. Et Ligarium ſic ſe excuſantem inducit: *Erravi, temere feci &c.* Superius autem: *Alii errorem appellant &c.* Pro Dejotaro. *Neque enim ille odio tui progreſſus, ſed errore communi lapſus eſt*. Secundo. *A Caſu* ſeu fortuna, ut ajunt; quapropter oſtenditur, aliquid fortuiti eventus cauſſa accidiſſe. Ut ſi quis improviſo morbo,

 aut

aut vi pluviæ, aut fluminis, aut tempeſtatis præpeditum ſe fuiſſe affirmet, ſi quum feram gladio peteret, ſe homo fortuito objecerit, quem occidit &c. Veteres fortunæ multa tribuebant, quæ tamen ſi caſui, videlicet inopinato nobis ſucceſſui dentur, ad hoc *purgationis genus referuntur*. Tertio a *Neceſſitate*, qua aliquid *vi quadam* factum fuiſſe affirmatur, ut ſi quis in ſeditione fuerit; ſe vero vi, & armis compulſum dicat: ſi furatum ſe fateatur, ne fame interiret &c. Cicero defendit Ligarium ab hoc capite. *Tertium*, inquit, *eſt tempus, quo poſt adventum Vari in Africa reſtitit. Quod ſi eſt criminoſum, neceſſitatis crimen eſt, non voluntatis &c.*

Deprecatio, quæ ad *confeſſionem criminis* pertinet; non defenſionem facti, ſed ignoſcendi poſtulationem continet. Hæc videtur *ad genus negotiale* pertinere; habet tamen locum in ſtatu aſſumptivo, quia ſolet purgationi adjungi, vel intermiſceri. Pulcherrima eſt ea pro Ligario. *Erravi, temere feci, pœnitet; ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, ut ignoſcas, oro: ſi nemo impetravit, arroganter: ſi plurimi, tu idem fer opem, qui ſpem dediſti.*

Subdunt nonnulli Status Legales, ac ſtatum, quem tranſlativum *vocant. Optime ii quidem. Verum nos nihil præterea, quibus pro Juvenum captu, ſatis ea videantur, de quibus egimus. Atque hic Univerſa finem habent de Inventione Doctrina.*

RHE-

RHETHORICARUM INSTITUTIONUM
LIBER SECUNDUS.

De Diſpoſitione.

1 Quid eſt Diſpoſitio?

1 Eſt *rerum inventarum* ad perſuadendum *idonea diſtributio*.

II Eſt ne utilis hæc diſtributio?

2 Adeo utilis eſt, ut ſine ipſa nihil obtinere poſſit Orator. Nam confuſio, & perturbatio rerum mentem obfuſcat, propterea ut neque doceri, neque delectari, neque moveri poſſit Auditor. Bene propterea, ac ſapienter Tullius, *Lib. II. Officiorum*, cum Ennij verſiculum retulit: *Benefacta male locata, malefacta arbitror*. Ordo vero, rem facit perſpicuam ad intelligendum, audientem recreat, & facile perſuadet. Oratoris ipſius memoria, diſtributione rerum fovetur ut cum maxime; nihilque eſt quod Oratoris prudentiam magis commendet; nam invenire ingenii, ordinare autem recti eſt, certique judicii. Nihil contra dicentis inſcitiam tam manifeſte profert, quam turbata, & ſus deque verſa, & agitata Oratio, ut nec caput habeat, nec pedes.

III Igitur quinam eſt Ordo ſervandus?

3 Duplicem ordinem habere res poſſunt, naturalem, & artificialem. Naturalis ordo, eſt rerum, prout geſtæ ſunt, & natura præcedunt, vel ſubſequuntur expoſitio. Hunc ordinem Hiſtorici plerumque ſervant. Artificialis ordo eſt collocatio eorum, quæ nulla certa ratione inter ſe connexa ſunt; vel etiam, ingenioſa quædam eorum, quæ certo ordine geſta ſunt, tranſpoſitio. Hic ordo eſt Oratorum in omni genere, ſi lubeat, plerumque tamen in Demonſtrativo; ſed præcipue Poetis datur. Virgilius prius narrat;

tempeſtatem Æneæ, & ejus apud Didonem Hoſpitium, deinde Trojanum excidium, & ejus a Troja diſceſſum [res ſane, quæ multo ante evenerunt] epiſodii loco.

IV Quid eſt Epiſodium?

4 Eſt digreſſio, qua paullum in aliam rem, a præſenti tamen natam, divertit Oratio, & in ea diffunditur. Sæpe fit per tranſitum a quæſtione finita in infinitam, interdum alia ratione. Redeundum tamen Oratori eſt ad priſtinum argumentum: Poetæ vero licentior facultas datur, præſertim in Lyricis: Cavendum Oratori ne crebrior fiat digreſſio, nam hæc Orationem turbat, & Auditorem confundit.

V Eſt ne certa quædam diſtribuendæ Orationis forma?

5 Eſt ea quidem; nam quædam Orationis partes aſſignantur, quæ certo inter ſe ordine locandæ ſunt. Quatuor autem cuilibet Orationi tribuuntur. *Exordium*, *Propoſitio*, *Confirmatio*, & *Peroratio*. Propoſitio, & Confirmatio, quæ etiam *contentio* dicitur, prorſus Orationi ſunt neceſſariæ; nam hæ ad veritatem, & fidem affirmationis pertinent. Exordium, & Peroratio in Oratione ponuntur, ad juvandam Auditorum imbecillitatem, qui quum rationibus ſæpe non moveantur, affectuum illecebra, & provocatione trahendi ſunt. Quibuſdam Orationibus accedit quinta pars *Narratio*, quæ ante Confirmationem ponitur: Nonnullis alia pars *Confutatio*, quæ vel ſtatim ab exordio ſubjungitur, vel abſoluta confirmatione. De ſingulis agendum.

De Exordio.

I QUid eſt Exordium?

1 Exordium, nomen a Textoribus ductum, qui telas ordiuntur, eſt ut Tullius docet, *Lib. 1. de Invent.* = *Oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem.*

II Quodnam eſt munus Exordii?

2 Eſt Auditores diſponere ad audiendum; videlicet pro diverſis cauſſarum generibus, Populi, Patrum, Judicum, Magiſtratus, Regis &c. animos Orationi accomodare.

III Quo pacto Auditorum animi accomodantur Orationi?

3 Acco-

3 Accomodantur, ſi benevoli, dociles, attentique fiant. Paranda igitur eſt ab Oratore in exordio *benevolentia*, *docilitas*, *atque attentio*. De his pro diverſitate cauſarum conciliandis inferius agetur.

IV Quotuplex eſt Exordii genus.

4 Exordium in Oratione aliud eſt *ad ornatum*, aliud *ad neceſſitatem*. Illud ponitur in Oratione, ne corpus eſſe videatur truncum, & ſine capite; Eſt autem quaſi exterior facies, ſeu limes, ac veſtibulum Domus, quæ ſe tranſeuntibus ſpectandam exhibet. Iſtud vero præficitur Orationi, ut cauſſæ viam ſternat, & aditum aperiat in animos Auditorum. Comparari poteſt Januæ Domus, quæ una aditum in ædes recludit: vel inſtar ſcalarum eſt, ſine quibus, in ſuperiora vetatur adſcenſus. Hæc prima Exordii diviſio, ratione finis. Rationi modi, quo Exordium exponitur

5 Dividi ſolet *in juſtum*, ſeu *legitimum*, ut ajunt, & *ex abrupto*; Nos *planum* dicimus, *& abruptum*. Præterea in *Principium*, *&* *Inſinuationem*, in quæ tanquam in duas ſpecies *planum* Exordium dividitur.

De Exordiis Abruptis.

I Quid eſt Exordium abruptum, ſive ex abrupto?

1 Eſt Repentinus, ſine præparatione animorum, in cauſſam ingreſſus.

II Quandonam hæc adhibetur, exordiendi ratio?

2 In cauſſis adhibetur ferventioribus, in quibus vehementiores affectus commoventur, Iræ, doloris, indignationis, lætitiæ, quibus concitatus animus, quum paullatim in cauſſam ingredi nequeat, in eam quodammodo proruit, & irrumpit.

III Quo pacto vehementia affectus exprimitur?

3 Vehementioribus figuris, quibus illico in concionem prorumpitur. Interrogatione, Apoſtrophe, Deprecatione, Exclamatione &c. Emphaſi, Reduplicatione &c. In Piſonem Tullius. *Jamne vides, bellua, jamne ſentis, quæ ſit hominum querela frontis tuæ?* & in Catilinam primâ. *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra?* & paullo poſt. *O tempora, o mores! &c. Fuit, fuit iſta quondam in hac* Repu.

Republica virtus &c. & *inferius. Vivis, & vivis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam.* Livius in Concione Manilii accendentis plebem in Magiſtratus. *Quoſque tandem ignorabitis vires veſtras, quas natura ne belluas quidem ignorare voluit.* Idem ab indignatione, & increpatione, Veturiam ſic Coriolanum alloquentem inducit. *Sine priuſquam complexum accipio, ſciam, an ad hoſtem, an ad filium venerim; captiva, mater ne, in caſtris tuis ſim.* Juno apud Virgilium. [a]

.... Me ne incepto deſiſtere victam,
Nec poſſe Italia Teucrorum avertere claſſem?

Pleni ſunt hujuſmodi exordiis ſacri Prophetarum libri. Iſaias cap. 1. *Audite Cæli, & auribus percipe Terra, &c.* David Pſal. 48. *Audite hæc omnes gentes &c.* Pſal. 51. *Quid gloriaris in malitia &c.*

De ceteris Exordiis; Principio nempe, & Inſinuatione.

I Quid eſt Exordium, quod *Principium* dicitur?

1 Eſt illud quod perſpicue, & protinus perficit auditorem benevolum, aut docilem, aut attentum. Ita Tullius *Lib. 1. de Invent.*

II Quid eſt Exordium, quod dicitur *Inſinuatio?*

2 Eſt illud, quod diſſimulatione, & circuitione quadam obſcure, & ſenſim ſubit animos auditorum. Tullius *ibidem*.

III Exordia hujuſmodi quandonam locum habent?

3 *Principium* locum habet in omnibus cauſſis, quibus nullum præjudicium obſtat. Plerumque uſuvenit in genere *Demonſtrativo*, niſi forte, aut aliquid laudare velis, quod turpe eſſe, aliquid vituperare, quod bonum omnibus cenſeatur. Tum ſane Inſinuatione opus erit.

4 *Inſinuatio* adhibetur ad emolliendos animos, ſi quando præjudiciis ſint occupati. In genere Deliberativo locum habet, plerumque tamen in cauſis Judicialibus.

De

(a) *Aen.* 2.

De Præjudiciis in Exordio amoliendis.

I P Ræjudicia quid ſunt, & unde in cauſſis potiſſimum oriuntur, & qua ratione amoventur?

1 Sunt *præjudicia proprie accepta*, judicia ſimilibus in cauſſis lata, ut alibi diximus. Hi loci ſunt, *quidquid cenſetur cauſſæ obeſſe poſſe, antequam tractetur*. Oriri autem poſſunt multiplici ex capite, quorum nonnulla recenſebimus: ſingulis artificium aliquid ſubjicientes; quo natum ex iis præjudicium avertatur. Profecto ſpectat, vel ad Confirmationem, vel ad Confutationem vi argumentorum *animos vincere*, & contraria argumenta diluere. Tamen, ne inclementi animo Auditor nos excipiat, etiam Exordii eſt, aliqua cum mitigatione lenire, ac præparare,

De Præjudiciis, quæ ex Cauſſa oriuntur, leniendis.

O Riri poſſunt Præjudicia *a cauſſa*.

I *Si turpitudinis quandam ſpeciem præſeferat*; (nam de re vere turpi non eſt Oratoris unquam diſſerere) *ut ſi deditio Urbis ſuadenda ſit, aut orandum pro Parricida &c.* Tum vero uti poteſt Orator dubitatione quadam, qua ſuſpenſum ſe, & ancipitem oſtendat, num eam cauſſam ſuſcipiat; vel artificioſa confeſſione crimen proferet; utens deprecatione: Interdum etiam ſimulabit ſe veniam deprecaturum non eſſe; id eſſe crimen, quod veniam non mereatur &c. Rogabit ut de pœna tantummodo decernatur; De illa ſe eſſe acturum, quæ tamen ſi minui aliqua ratione poſſit, ſuadere, dum juſti eſſe velint Judices, ne immites prorſus, ac duri videantur, Cicero in Exordio pro Cluentio. *Equidem quod ad me attinet, quo me vertam, neſcio. Negem fuiſſe illam infamiam judicii corrupti? negem illam rem agitatam in concionibus? jactatam in Judicio? commemoratam in Senatu? Evellam ex animis hominum tantam opinionem? tam penitus inſitam? tam vetuſtam? Non eſt noſtri ingenii: veſtri auxilii eſt, Judices, hujus innocentia*

tia ſit in hac calamitoſa fama quaſi in aliqua pernicioſa flamma, atque in communi incendio ſubvenire. Etenim *&c.* Et pro Ligario. *Itaque, quo me vertam, neſcio. Paratus enim veneram &c. omnis oratio ad miſericordiam tuam conferenda eſt &c.*

II *Si admirationem contineat*, ſeu *paradoxa* videatur, aut ea ſit, contra quam vulgaris vigeat opinio; ut ſi *jucundam* paupertatem, aut *mortem bonam*, aut ſtellam decies tellure majorem, aut aquam ſponte aſcendere apud vulgus proponas. Amovebitur admiratio ſi Orator, vim ſane magnam in hominum conſenſione contineri affirmabit, neque eſſe a pervulgatis opinionibus temere recedendum; Interdum tamen vel Sapientiores decipi: rumores in vulgus ſpargi: nova detegi; nec eam eſſe naturam, cujus multa pervadi non poſſint &c. Se, inquiet, aliquid propoſiturum, quod novum revera, & incredibile haberi poſſit: diu hæſiſſe, dubitatione adhuc teneri; Velle tamen de eo apud Auditores agere, quorum ſapientiam perſpectam habeat: illud ſibi non prorſus videri incredibile: allaturum argumenta, quæ putet graviſſima; Rogare tamen Auditores, ſi probaverint, ut eorum auctoritate confirment, ſin minus polliceri non in alia ſe malle, quam in ſapientum opinione verſari. Proderit animadvertere, non omnia ex iis metienda, quæ apparent, aliud nos oculis, aliud mente intueri; quæ ſenſibus aſpera, jucunda interdum voluntati accidere; propterea, & mortem poſſe, & infamiam, vita ipſa, ac fama, haberi aliquando meliorem &c.

III *Si Anceps, ſeu qua honeſtatis, ac turpitudinis ſit particeps.* Sic enim & benevolentiam pariet, & offenſionem, ut ſi Ducem laudes, qui *hoſtes fuderit*, ſed *inducias* pugnando *violaverit*, aut *in Patrem pro Patria* dicas, aut tua in Patriam merita ſis ipſe propoſiturus. Comparari poteſt turpitudo cum honeſtate; ita tamen ut honeſtas turpitudinem vincere videatur. Vel contendendum initio, quanquam indecens, aut malum id putetur, malum tamen non eſſe: Dolum ſeu virtutem in hoſtibus vix requiri, tantumque emolumenti, & gloriæ in Victoria reperiri, ut abunde violatæ fidei notam compenſet, ſervatæ vero laudem,

dem, longiſſime antecellat &c. Cicero quum de ſe vellet dicere. *Pro lege Agrar.* 2, ita in Exordio. *De me autem ipſo vereor ne arrogantis ſit apud vos dicere; ingrati, tacere; Nam & quibus ſtudiis hanc dignitatem conſecutus ſim, memetipſum commemorare per quam grave eſt; & ſilere de tantis noſtris beneficiis nullo modo poſſum. Quare adhibebitur a me certa ratio, moderatioque dicendi, ut quid a vobis acceperim commemorem: quare dignus veſtro ſummo honore, ſingularique judicio ſim, ipſe modice dicam, ſi neceſſe erit &c.* Simile habet pro Plancio. *Sed mihi in cauſſa facili, atque explicata perdifficilis, Judices, & lubrica defenſionis ratio proponitur &c.*

IV *Humilis cauſſa*, ſeu quæ vilis, & abjecta putatur, ut eſſet de herbis dicere, de bobus abactis, de paſcuis ſervandis, de lanis non diſtrahendis; neceſſitatis, utilitatis, æquitatis commemoratione ita erigitur, ut non indigna ab Auditore habeatur. Ita Cicero *Philipp.* 7.— *Parvis de rebus, ſed fortaſſe neceſſariis conſulimus P. C. De Appia via, & de Moneta Conſul, de Lupercis tribunus plebis refert &c.*

V *Ardua res & magna*, ſeu quæ difficultatem ingentem continet, ut ſi paucos ad congrediendum cum multis urgeas; ad Martyrium, vel Mortem adhorteris. Mitiganda initio eſt, vel arduitatis diminutione, vel honoris, gloriæque propoſitione, vel ſpe maxima, quam Orator profitebitur ſe in perſpecta magnanimitate, fortitudine, dexteritate Auditorum repoſuiſſe; Multa ardua videri, quæ reipſa facilia ſunt: aliquid initio difficile, cetera ſuave, ac jucundum &c. Livius Hannibalem hortantem milites ad ſuperandas alpes, ita loqui finxit. *Quid aliud eſſe Alpes creditis, quam montium altitudines? Fingerent altiores Pyrenæis jugis; nullas profecto terras Cœlum contingere, nec inſuperabiles humano generi eſſe.* De eodem Hannibale Livius. *Italiam oſtentat, ſubjectoſque alpinis montibus circumpadanos campos, mœniaque eos tum tranſcendere, non Italiæ modo, ſed etiam Urbis Romæ: Cetera plana, proclivia fore: uno, aut ſummum altero prælio, arcem, & caput Italiæ in manu, ac poteſtate habituros &c.*

Di

De leniendis præjudiciis ab Auditoribus.

PRofecto præjudicia omnia, quæ ex cauſſa gignuntur, ceteriſque occaſionibus, ad Auditorem referuntur ipſum: nam turpitudo, admiratio, difficultas &c. eum alienant. Sunt tamen quædam, quæ etiam in honeſta, facili, perſpicua re, poſſunt Auditorem avertere, de quibus nunc ſeparate agemus. Oriuntur autem ab eodem ſi ſit.

I *Adverſus*, ſeu qui ſimultatem aliquam, aut cum Reo, aut cum Oratore habuerit, aut habeat: aut cujus animus ſuſpicione aliqua laboret, aut offenſione ſit exulceratus, aut qui Oratori ita ſe præbeat, ut animo alieno, eſſe videatur. Eſt autem laude mulcendus, flectendus etiam deprecatione, ſi nocere adverſando poſſit. Vel ipſa alieni, ſuſpicioſi, aut offenſi animi argumenta, quæ appareant, in rem noſtram tanquam proſpera, ac faventia torquenda ſunt. Quod ſi inimicus animus minus flecti poſſe videbitur, proderit interdum eundem deſpicere, & aliorum, qui mitiores, & ſapientiores affirmabuntur, favorem poſtulare. Hæc omnia mirifice perficit Tullius, Oratione pro Dejotaro. *Dicere apud eum de facinore, contra cujus vitam conſilium facinoris ineſſe arguare, ſi per ſe ipſum conſideres, grave eſt, Nemo enim fere eſt, qui ſui periculi Judex, non ſibi ſe æquiorem, quam reo præbeat. Sed tua C. Caſar praſtans, ſingulariſque natura hunc mihi metum minuit. Non enim tam timeo, quid tu de Rege Dejotaro, quam intelligo, quid de te ceteros velis judicare &c.* Et inferius. *Iratum te Regi Dejotaro non erant neſcii: affectum illum quibuſdam incommodis, & detrimentis, propter offenſionem animi tui meminerunt: teque cum huic iratum: tum ſibi amicum cognoverant: quumque apud ipſum de tuo periculo dicerent, fore putabant, ut in exulcerato animo facile fictum crimen inſideret. Quamobrem hoc nos primum metu C. Caſar, per fidem, & conſtantiam, & clementiam tuam libera, ne reſidere in te ullam partem iracundiæ ſuſpicemur. Per dexteram te iſtam oro, quam Regi Dejotaro, hoſpes hoſpiti porrexiſti; iſtam, inquam, dexteram, non tam in bellis,*

& in

& in præliis, quam in promiſſis, & fide firmiorem &c. Et pro Milone. *Illa præſidia, quæ pro templis omnibus cernitis, etſi contra vim collocata ſunt &c. Quæ ſi oppoſità Miloni putarem, cederem tempori, Judices, nec inter tantam vim armorum, exiſtimarem oratori locum eſſe. Sed me recreat, & reficit Cn. Pompeii, ſapientiſſimi, & juſtiſſimi Viri conſilium, qui profecto nec juſtitia ſua putaret eſſe, quem reum ſententiis Judicum tradidiſſet, eundem telis militum dedere; nec ſapientia, temeritatem concitatæ multitudinis, auctoritate publica armare. Quamobrem illa arma, Centuriones, Cohortes, non periculum nobis, ſed præſidium denuntiant &c.* Paullo autem poſt, Clodianos, quos nullo modo molliri poſſe videbat deſpexit: curavitque in eos, ceterorum, quorum benevolentiam aucupatus fuerat, odium concitare hoc modo. *Unum genus eſt adverſum, infeſtumque nobis eorum, quos P. Clodii furor rapinis, & incendiis; & omnibus exitiis publicis pavit, qui &c. Quorum clamor, ſi quis forte fuerit, admonere vos debebit, ut eum civem retineatis, qui ſemper genus illud hominum, clamoreſque maximos pro veſtra ſalute neglexit.*

II *Perſuaſus* Auditor, ſeu qui in opinione oppoſita verſetur, magno eſt cauſſæ detrimento. Is autem capiendus, pollicitatione certiſſimarum rationum, quibus in Oratoris ſententiam certiſſime flectendus affirmetur, ſic enim oritur curioſitas, & exſpectatio, quæ illum attentiorem efficit, ac propenſiorem. Proderit ab eo ſtatim ordiri, quod Adverſarius tanquam firmiſſimum protulerit, vel quod vim in mente Auditorum maximam habere poſſit. Uti etiam dubitatione poteris, quod primum dicas, aut cui potiſſimum loco reſpondeas cum admiratione. Æquitas, & probitas Auditorum laudanda, eique ſe multum fidere Orator profitebitur. Nam Auditor ea laude lenitus, quum videt Oratorem firmiſſimo animo cuntradicere paratum, *plerumque ſe potius temere aſſenſiſſe, quam illum ſine cauſſa confidere arbitratur*, inquit Tullius *Lib. 1. de Invent.* quod ipſe *Oratione 3. pro Lege Agraria.* pulcherrime executus eſt; Nam quum Tribuni, plebem ceteroqui conſentientem duabus Orationibus, quas habuerat, multo abalienaſſent, tertia ſic orſus eſt. *Commodius feciſſent Tribuni*

ple-

plebis, Quirites, ſi quæ apud vos de me deferunt, ea coram potius; me præſente dixiſſent. Nam & æquitatem veſtræ diſceptationis, & conſuetudinem ſuperiorem, & jus ſuæ poteſtatis, retinuiſſent. Sed quoniam adhuc præſens certamen, contentionemque fugerunt; nunc, ſi videtur eis, in meam concionem prodeant; & quo provocati a me venire noluerunt, revocati ſaltem revertantur. Video quoſdam, Quirites, ſtrepitu ſignificare neſcio quid, & non eoſdem vultus, quos proxima mea concione præbuerunt, in hanc concionem mihi retuliſſe. Quare, a vobis, qui nihil de me credidiſtis, ut eam voluntatem, quam ſemper habuiſtis erga me retineatis peto. A vobis autem, quos leviter immutatos eſſe ſentio; parvam exigui temporis uſuram bonæ de me opinionis poſtulo, ut eam, ſi quæ dixero, vobis probabo, perpetuo retineatis; ſin aliter, hoc ipſo in loco depoſitam, atque abjectam relinquatis.

III *Defeſſus*, aut *Diſtractus*, ſeu qui vel defatigatus ſuperiori concione, vel gravi aliqua re perfunctus, vel oſcitans, & aliud cogitans, vel aliquo validiori affectu, puta lætitiæ, doloris, iracundiæ captus Auditor te excipiat, aptabitur Orationi, ſi te perbrevem polliceberis, ſi hilarem te exhibeas, vel faceto aliquo dicto exordiare. Juvabit narratio curioſitati ciendæ aptior, nec erit inutile ab aliqua re ex tempore nata, initium capere. Quod ſi rei dignitas hilaritati minus apta videatur, novum aliquid, grave, horribile, triſte, commodum erit ſtatim injicere; ſic enim animus defeſſus audiendo, & in alia diſſipatus, vel admiratione advocatur; vel jucunditate integratur, & renovatur. Notiſſimus eſt de Aſini umbra Apologus, quo Demoſthenes Auditorum ſuorum animos revocavit, eumque nos alibi retulimus. Turnus poſt longum Drancis ſermonem ſic orſus (a)

Larga quidem ſemper Drance, tibi copia fandi,
Tunc quum bella manus poſcunt; patribuſque vocatis
Primus ades, ſed non replenda eſt Curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant, dum diſtinet hoſtem
Agger murorum, nec inundant ſanguine foſſæ &c.

Dé

(a) *Aen. 11.*

De Præjudiciis ab Oratore.

ACcidit aliquando, ut neque cauſſa offenſionem habeat, neque Auditor odio, perſuaſione, aut alio præjudicio teneatur. Poteſt Orator is eſſe, ex quo omne oriatur incommodum, cujus cauſſæ ſint

I *Ætas*, ut ſi Adoleſcens de graviſſimis rebus, vel Senex de jucundiſſimis acturus accedat. Oportebit fateri ſe minus idoneum, & aliqua excuſatione uti, aut cauſſam exponere, ne temere ad dicendum acceſſiſſe videatur: ut Cicero *Pro Sex. Roſcio Amerino*: quum annum agens nonniſi viceſimum octavum eam cauſſam ſuſcepiſſet, præjudicio ætatis mederi ſtatuit, ſic orſus. *Credo ego vos, Judices, mirari, quid ſit, quod quum tot ſummi Oratores, hominesque nobiliſſimi, ſedeant, ego potiſſimum ſurrexerim, qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate ſim cum his, qui ſedeant comparandus &c.* & paullo poſt juventutis ſuæ in ea cauſſa opportunitatem oſtendit. *Ego ſi quid liberius dixero, vel occultum eſſe, propterea quod nondum ad Rempublicam acceſſi, vel ignoſci adoleſcentiæ meæ poterit.* Niſus apud Maronem *(a)* ætatis præjudicium avertere nititur.

.... Audite o mentibus æquis
Æneadæ, neque hæc noſtris ſpectentur ab annis,
Quæ ferimus &c.

II *Natio* aut Fortuna poteſt obeſſe dicenti: ſi Peregrinus homo, ſi ab ea Regione, cujus hominum honeſtas, aut fides infamia laboret: ut ſi Græcus de fugiendo mendacio, vel de fide ſervanda diſserat: ſi egens, aut profugus, aut naufragus, quorum infelicitas, aut ſuſpecta interdum accidit, aut fides minus certa putatur. Oportebit hoc prejudicium ſponte fateri, opem implorare, fidem polliceri &c. Artificioſiſſimum fuit illud Sinonis Virgiliani *(b)*

Cuncta equidem tibi, Rex, fuerint quæcunque fatebor
Vera, inquit, neque me Argolica de gente negabo
Hoc primum: nec ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam, mendacemque improba finget &c.

(a) Aen. 9. *[b] Aen. 2.*

III *Mos notus* ejuſdem Oratoris, offendere animos poteſt. Nam ſi minus probus habeatur difficillime fidem obtinebit, ut ſi de manſuetudine Rixator, de pace Bellator diſſerat &c.

De Præjudiciis, a Reo, & Adverſario.

NOnnulla poſſunt voluntatem Auditorum avertere, quæ ab eo ſint, pro quo dicimus. Talia ſunt.

I *Faſtus*, & arrogantia; nam hæc offendunt animos, quippe Reum humilem, ac demiſſum non patimur modo, ſed miſericorditer intuemur, ſuperbientem faſtidimus, & averſamur. Orator curabit delere hoc præjudicium, interpretatione aliqua, unde non id arrogantia, ſed animi magnitudo, vel conſtantia, vel mentis nullius criminis conſciæ, teſtificatio putetur. Cicero pro Milone id ſapientiſſime perfecit; nam quum Milo non ſine faſtu, & contemptu, non mutata veſte, nec ſordidatus, quod Reorum erat, in concionem veniſſet, id pluribus in virtutem deflectit, non modo initio, ſed in peroratione ipſa Orationis. Atque in Exordio quidem, Faſtum fortitudinis ſpecie tegit, dicens. *Etſi vereor, Judices, ne turpe ſit* pro fortiſſimo Viro, *dicere incipientem timere, minimeque deceat, quum T. Annius Milo ipſe*, magis de Reipublicæ ſalute, quam de ſua perturbetur, *me ad ejus cauſſam* parem animi magnitudinem *afferre non poſſe*; *tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos &c.* In Peroratione autem, mirifice huic offenſioni medendæ ſtudet, ne commiſerationis motus, quem excitare contendit, arrogantiæ illius conſpectu præpediatur. *Quid reſtat*, inquit, *niſi ut orem, obteſterque vos, Judices, ut eam miſericordiam tribuatis* fortiſſimo Viro, *quam ipſe* non implorat, *ego autem* repugnante hoc, *& imploro, & expoſco. Nolite, ſi in noſtro omnium fletu* nullam lacrymam adſpexiſtis Milonis, ſi vultum ſemper eundem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem, ac non mutatam videtis, *hoc minus ei parcere*: *Atque haud ſcio*, an multo etiam ſit adjuvandus magis. *Etenim ſi in gladiatoriis pugnis &c.* Proſequitur a gladiatorum comparatione &c. contendens tribuendum fortitudini, quidquid faſtum ſapere videbatur. In præclariſ-

ſima,

ſima, quam inducit, Milonis ipſius ſermocinatione, in idem inſiſtit mirifice. Quæ licet in Exordio non ſint, docent tamen, quo pacto in ſimilibus cauſſis, vel initio, vel ubicumque opus ſit, hoc præjudicii genus averti poſſit.

II *Conditio*. Nam cauſſæ humilium hominum deſpiciuntur: Potentium vero cum metu, vel cum ſpe non raro tractantur. Quum Orator agit cauſſam deſpecti hominis curare debet, ut initio commiſerationem in ipſum provocet: fidere ſe profitebitur perſpectæ Auditorum æquitati, ſperare eos ita acturos, ut omnes intelligant periculum ac damnum a miſeris, & innocentibus propulſari oportere. Conciliabit invidiam Adverſariis, qui Judicum conſtantiam in miſerorum perniciem velint experiri. Sed eos propterea deſpiciendos magis &c. Tullius *pro Sext. Roſcio Amerino*. — *Primum a Chryſogono peto, ut pecunia, fortuniſque noſtris contentus ſit, ſanguinem, & vitam ne petat; deinde a vobis, Judices, ut audacium ſceleri reſiſtatis, innocentium calamitatem levetis, & in cauſſa Sext. Roſcii periculum, quod in omnes intenditur, propulſetis*. Et inferius. *Accuſant ii, qui in fortunas hujus invaſerunt; cauſſam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Accuſant ii, quibus occidi Patrem Sex. Roſcii bono fuit; cauſſam dicit is, cui non modo luctum mors Patris attulit, verum etiam egeſtatem &c.*

III *Odium, & Invidia*: ſi videlicet reus inviſus ſit, & qui difficile gratiam invenire poſſit. Hoc fatendum ab Oratore, quum enim Reus odioſus eſt, fruſtra in eum benevolentiam conciliare laborabis. Oportet pro eo, qui inviſus ſit gratioſum alium proponere. Apud Virgilium Turnus [a] id executus:

...... Equidem merui, nec deprecor, inquit.
Utere ſorte tua. Miſerere ſi qua Parentis
Tangere cura poteſt, Dauni miſerere ſenecta &c.

vel Auditorem, aut Judicem deprecari, ut non quid de Reo ſentiatur, ſed quid ſentiendum attendat &c. Sic Cicero Pro Cluentio. *De invidia autem ſic inter vos diſceptare debetis, ut non quid dicatur a vobis, ſed quid oporteat dici conſideretis &c.*

[a] *Aen.* 12.

IV *Ab Adverſario* ſtat præjudicium, ſi congrediendum ſit cum Viro celebri, in cauſſis agendis verſato, vel in eum agatur, quem faventium ſtudia proſequantur, auctoritas, & auxilium Potentium ſuſtentet &c. Cicero ſi quando in Hortenſium acturus eſſet, eum laudare conſueverat, quod decet fieri, nam Auditores dum vident commendare eum, quem ipſi permagni faciunt, æquum hominem putant laudantem ipſum, eique facilius adjungunt animum. Quum vero gratioſus apud multos Adverſarius eſt, expedit de eo temperate, & conſiderate loqui, ne Auditores offendantur, eritque, ad eorum juſtitiam, æquitatem, ſapientiam, prudentiam recurrendum, ut ſine ſtudio, aut metu, decernant. Cicero *Pro P. Quinctio*, ſic orſus, hoc præjudicium accuratiſſime cavit. *Quæ res in Civitate duæ plurimum poſſunt, ea contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia. Quarum alteram C. Aquilii vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortenſii, ne me dicendo impediat, nonnihil commoveor; gratia Sex Nævii ne P. Quintio noceat: id vero non mediocriter pertimeſco. Neque hoc tantopere quærendum videretur, hæc ſumma in illis eſſe, ſi in nobis eſſent ſaltem mediocria. Verum ita ſe res habet, ut ego qui neque uſu ſatis, & ingenio parum poſſum, cum patrono diſertiſſimo comparer: P. Quintius, cui tenues opes, nulla facultates, exigua amicorum copia ſunt, cum adverſario gratioſiſſimo contendat &c.* Inferius Aquillium Judicem alloquens; *certe*, inquit; *aut apud te, & eos, qui tibi adſunt, veritas valebit: aut ex hoc loco repulſa vi, & gratia, locum, ubi conſiſtat, reperire non poterit &c.* Et de Hortenſio iterum. *Quum præſertim Q. Hortenſius, qui hoc judicio &c. contra me ſit dicturus; cui ſummam copiam, facultatemque dicendi natura largita eſt &c.* Et pro L. Cornelio Balbo. *Si Auctoritates Patronorum in judiciis valerent, ab ampliſſimis Viris L. Cornelii cauſſa defenſa eſt, ſi uſus &c.*

Alia eſſe poſſunt præjudicia, quibus Orator exordiendo occurrat. Superiora attulimus, quæ ſoleant accidere paullo frequentius. Artificia confirmavimus Tullianis exemplis fere omnia, ne nos de noſtro dicere videremur. Ceterum multa ſunt, quibus Orator, ex ingenio ſuo medebitur:

bitur: Miſcentur invicem artificia hujuſmodi, & ſæpe cauſſa, ſæpe Reo, ſæpe Auditori una conſulimus. Prudentia opus eſt, dexteritate, & judicio.

De Fontibus Exordiorum generatim.

I Quinam ſunt ii fontes, a quibus Exordia deduci poſſunt?

1 Quanquam pro diverſis cauſſarum generibus diverſi Exordiorum fontes afferri ſoleant; tamen quum iidem ſæpe, diverſis cauſſis conveniant, nos brevitatis ſtudio, generatim locos adducimus, qui Oratoribus ad elicienda Exordia in promptu eſſe poſſunt. Petuntur autem.

I *A ſimplici expoſitione*, ſeu facili, & perſpicua propoſitione rei, de qua ſumus acturi. Cicero (a) ita orſus. *Antequam de Republica, P. C. dicam, & quæ dicenda hoc tempore arbitror: exponam vobis breviter conſilium profectionis, & reverſionis meæ &c.* Et in Verrem (b) *Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat ſtudium; ut amici ejus, morbum, & inſaniam, ut ſiculi latrocinium; ego quo appellem nomine neſcio.* Et Philipp. octavæ, ejuſdem rationis principium legitur. Hæc exordiendi ratio tenuis eſt, & convenit cuicunque dicendi rationi, etiam non oratoriæ, ommitti autem nullo modo poſſe, Ariſtoteles, & Quintilianus docent; neceſſe enim eſt id propoſiti, de quo ſermonem ſuſcipimus. Verum iis etiam Oratoribus uſuvenit, ad quas Auditorem diſponere minus oportet, ſed in iis potiſſimum argumentis, de quibus alias, comparando benevolentiam, tractavimus.

II *A Genere*, ſive *a Theſi*, ad *Hypotheſim*. Tum a generali enunciatione ordimur, e cauſſæ viſceribus deducta, ex qua ad peculiare aliquid deſcendimus, de quo ſumus acturi. Tale eſt Actionis quartæ in Verrem. *Omnes, qui alterum, Judices, nullis impulſi inimicitiis, nulla privatim læſi injuria, nullo præmio adducti in judicium Reipub. cauſſa vocant, providere debent &c.* Generatim exponit, Accuſatoribus vitia cavenda eſſe, de quibus accuſant, quod multis confirmat, deinde ad ſe ipſum venit, oſtendens ſe omni-

(a) *Philipp. 1.* (b) *Act. 5.*

omnibus vitiis, nam omnia in Verre vitia ſunt, infenſum eſſe &c. Et Actione prima in eundem a Theſi, ad Hypotheſim dixit: *Quod erat optandum maxime, Judices, &c.* Tale eſſet ſi quis Urbem aliquam commendaturus, generatim de præclaris Urbibus laudandis diſſereret, deinde certæ illius Urbis encomium proponeret &c. Qui hunc fontem adeat, non facile in exordiendo deficiet. Hoc exordii genus Poetis eſt familiarius.

III *Ab Enumeratione*, ſeu diſtributione nonnullorum, quibus recenſitis aliquid eligitur, quod ſit Orationis argumentum. Ab hoc loco deductum eſt principium Orationis tertiæ in Catilinam. *Rempublicam, Quirites, vitamque omnium veſtrum, bona, fortunas, conjuges, liberoſque veſtros &c.* Plura enumerat felicitati Romanorum parta ab ejectione Catilinæ; dein orationem ſe habiturum profitetur, *ut quanta, & quam manifeſta, & qua ratione inveſtigata, & comprehenſa ſint*, qui ignorant Quirites, ſcire poſſint.

IV *Ab Adjunctis*. Hic locus fuit Tullio proclivis.

1 Sumuntur autem, puta *Adjuncta Perſonarum*; *& Oratoris*, qui ad dicendum accedit, & de ſe ipſo aliquid opportunum exponit. Apud Tullium Exordia hujuſmodi ſunt. *Pro Sex Roſcio Amerino. Divinatione in Verrem. Philipp. 2. In Catilinam 4. Poſt Redit. ad Quirites.* Vel *Auditorum*, quos demereri curat Orator, & ab adverſis alienare. Hujuſmodi ſunt Ciceronis exordia. *Pro Domo ſua. Pro Cn. Plancio. Et Philipp: 4.* Vel *Rei*, quem Orator initio tanquam innoxium, bonumque commendat, & cui Auditorum gratiam conciliare ſtudet, ut *Pro Flacco. Pro P. Sylla.* Vel *Adverſarii:* quem Orator vel in invidiam Auditorum trahere conatur, vel aliqua ratione mitigare nititur. Exempla Exordiorum ab hoc loco ſunt. *In Vatinium. Pro Cæcina. Pro Quintio.*

2 *Adjuncta loci*, in quo habetur Oratio, præbere poſſunt exordium. Bona pars exordii pro Rege Dejotaro hinc ſumpta eſt a Tullio. *Moveor, etiam*, inquit, *ipſius loci inſolentia, quod tantam cauſſam &c.* Item pro lege Manilia multa initio de loco commemorat, nam erat primum pro Roſtris dicturus.

3 *Adjuncta temporis* accipiuntur item ab Oratore, ut inde exordiatur: quod præſtitit Cicero pro M. Cœlio, de quo judicium die feſto quum agitandum eſſet inde opportunum initium hauſit. Eodem fonte uſus *Philipp.* 3. — *Serius omnino P. C. quam tempus reipub. poſtulabat, aliquando tamen convocati ſumus &c.* & Pro M. Marcello. *Diuturni ſilentii, quo eram his temporibus uſus &c. finem hodierna dies attulit &c.*

4 *Adjuncta Finis*, ſeu cauſſarum, de quibus Orator in concionem venit, aptiſſima ad ordiendum ſuppetunt. Tale eſt Exordium Divinationis in Verrem, & pro Rabirio. *Etſi non eſt mea conſuetudinis initio dicendi rationem reddere, qua de cauſſa quemque defendam &c.* Item Manilianæ Orationis initium huc potiſſimum pertinet, quamvis & a loci adjuncto petitum ſit.

5 *Adjuncta modi* poſſunt Orationi aditum aperire, Philippica 8. ſic Tullius. *Confuſius heſterno die eſt acta res C. Panſa, quam poſtulabat inſtitutum Conſulatus tui &c.*

6 Verum non ab uno tantum ex adjunctis deſumitur plerumque exordium, ſed plura invicem adjuncta miſcentur, ex quo multo præſtantius evadit, illudque obtinet beneficii, ut non domo allata, ſed in loco nata, oratio videatur. Exordia hujuſmodi ſunt apud Ciceronem multa. Præſtat illud *Pro Dejotaro*; Incipit enim a gravitate cauſſæ, & eam amplificat ab adjuncto Perſonæ, pro qua eſt dicturus. *Quum*, inquit, *in omnibus cauſſis gravioribus, C. Cæſar, initio dicendi commoveri ſoleam vehementius, quam videatur, vel uſus, vel ætas mea poſtulare: tum in hac cauſſa ita me multa perturbant, ut &c. Primum dico pro capite, fortuniſque Regis &c.* Proſequitur ab iniquitate Accuſatoris, quod in invidiam conatur adducere, *Accedit, ut Accuſatorum, alterius crudelitate, alterius indignitate perturber &c.* Tranſit ad Perſonam Cæſaris Judicis in propria cauſſa, quem miro artificio demeretur, de quo ſuperius dictum eſt. Ad loci præterea inſolentiam gradum facit, & multa differit, quæ in argumentum benevolentiæ trahere ſtudet. Ejuſdem generis eſt Exordium *Pro Milone*, quod ex tempore natum videtur, & a novitate armatorum hominum, qui forum, & vicina templa

 cir-

circumſtabant mirifice elicitum. A pluribus adjunctis petitum eſt Initium pariter Orationis *Pro Archia Poeta &c.*

V *A Contrario* ducuntur Exordia ſi Orator, vel occupatione, vel rejectione, vel alio quodam modo oppoſitum proponat, aut diluat illius rei, de qua ipſe demum ſermonem eſt habiturus. Ut ſi quis *de Lenitate* dicturus, *Iracundiæ* damna initio proponeret; Vel ad laborem hortaturus primum fateretur quietis, otiique inſitum hominibus deſiderium, &c. Tullius habet ab hoc loco Initium pro P. Sextio, *Si quis antea, Judices, mirabatur; quid eſſet, quod pro tantis opibus Reipub; tantaque dignitate imperii, nequaquam ſatis multi cives forti, & magno animo invenirentur, qui auderent ſe, & ſalutem ſuam in diſcrimen offerre pro ſtatu civitatis, & pro communi libertate: ex hoc tempore miretur potius, ſi quem bonum, & fortem civem viderit, quam ſi quem aut timidum, aut ſibi potius, quam Reipub. conſulentem. Nam &c.*

VI *A ſimili* ordiri poteſt Orator, aliquid proponens, quod cum ſua cauſſa, aut cum circumſtantiis ejuſdem, vel ſecum convenire videatur. Hujus nullum extat exemplum in Tullianis Orationibus. Habetur tamen pulcherrimum in fronte Libri ſecundi de Inventione. *Crotoniatæ, quondam quum florerent omnibus copiis &c.* Videtur tamen exordii genus *Didaſcalicum* magis, quam Oratorium, vel ex hoc ipſo quod Cicero non eo uſus ſit, niſi præfató in loco, & Initio Libri tertii de Officiis. Tamen non is improbabitur Orator, qui eo interdum utatur, benevolentiam tamen, docilitatem, atque attentionem cauſſæ concilians.

VII Initium præbent inſuper inſigne aliquod effatum, inſignis Quæſtio, Hiſtoria, Fabula &c. Laus, aut vituperatio, Præteritio, & alia hujuſmodi, quorum tamen nonnulla ad ſuperiores fontes reducuntur, propterea ſupervacaneum duco exempla proponere.

Moneo pro diverſitate generum diverſa loca exordiorum aſſignari; propterea ex iis, quæ jam attulimus, ſingulorum generum fontes hi poſſunt adferri.

Gene-

Generis Demonſtrativi.	*Generis Deliberativi.*	*Generis Judicialis.*
Ab Adjunctis	Ab Oratore	Ab Oratore
A Genere	Ab Auditore	Ab Auditore
Ab Enumeratione &c,	Ab Adverſario	A Reo
	A Cauſſa	Ab Adverſario
	Ab Adjunctis reliquis	A cauſſa
		A ceteris adjunctis
		A ſimplici propoſitione

De locis ad parandam benevolentiam, docilitatem, & attentionem.

I Quinam ſunt loci ad benevolentiam Auditorum comparandam?

Etſi multa diximus, quæ benevolentiam reſpiciunt eo loci, ubi de amovendis prejudiciis actum eſt; tamen ea quum ad cauſſas faciant, quibus præjudicium aliquid nocet; reſtat hoc loco dicendum de fontibus ad benevolentiam in ceteris cauſſis captandam generatim. Capitur autem præcipue.

1 *A Perſona dicentis*, qui amota omni ſuſpicione fordium, odiorum, ambitionis &c. Vir probus appareat; vel qui officio, benevolentia, amicitia, amore in Rempublicam, deſiderio communis boni ſe in concionem adductum profiteatur; vel qui merita ſua in Patriam, in Amicos, in eos qui audiunt, breviter, modeſteque commemoret, vel demum ſe ipſum, ſuamque in dicendo facultatem extenuet, ejus, contra quem acturus eſt, vel eorum, ad quos eſt dicturus (Rhetores, Oratoreſve ſint) eloquentiam amplificet. Habemus apud Tullium exempla innumera. *Pro Amerino*, ejus cauſſæ defenſionem ſuſcepiſſe inquit, ne prorſus *deſerta remaneret*, in quo dicentis probitas apparet. *Pro C. Rabirio* ſe acceſſiſſe ad dicendum amicitiæ, humanitatis, conſuetudinis, officiique cauſſa profitetur. Se ipſum extenuavit, *pro Quintio, & pro Balbo &c.* Proſunt ex parte *dicentis* interdum ſexus; ætas; conditio, ad

ad promerendum favorem: ut in *Feminis*, *Senibus*, *Pueris*, *Pupillis &c*

2 *Ab Auditoribus* aucupamur benevolentiam, vel ſignificando cauſſam ad eos pertinere: non ejus modo, de quo agimus ſtudia, genus, virtutem commendari, innocentiam defendi, dignitatem ſervari, periculum averti, offenſionem puniri, ſed Auditorum item, qui ſimilibus ſtudiis, ac virtutibus delectentur, qui genere, affinitate, patria jungantur, qui honeſtate, fortuna, offenſione communicent &c. Vel commendando eorumdem *pro boneſtis* dignitatem, *pro humilibus* juſtitiam, *pro infelicibus* miſericordiam, *pro læſis* ſeveritatem &c. Vel profitendo omnem ſpem in iis ſolummodo a nobis eſſe repoſitam &c. Tullius *pro Milone* ſic habet: *Hoc profecto tempore eam poteſtatem omnem vos habetis ut ſtatuatis, utrum nos, qui ſemper veſtræ auctoritati dediti fuimus, ſemper miſeri lugeamus, an diu vexati a perditiſſimis civibus, aliquando per vos, ac veſtram fidem, virtutem, ſapientiamque recreemur*. Generatim ita loquendum de Auditoribus, ut ipſi nobis in pretio, & exiſtimatione eſſe putentur.

3 Poteſt inſuper *a Rei*, de qua agendum eſt, præſtantia, vel utilitate elici: poteſt ab Adjunctis loci, temporis, & ceteris provocari.

II Quinam ſunt loci ad parandum Auditorum docilitatem?

Docilis is dicitur, qui animo eſt prompto ad rem, quam docetur excipiendam. Sunt autem docilitatis ſemina.

I Brevis & dilucida Rei, de qua agendum eſt, complexio. Sic Maro.

Arma, Virumque cano.

Et Ovidius.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora.

2 *Oratoria definitio*. Nam Auditor perſpicue rem intelligens, ejuſque naturam, aut notationem, animum habet ad percipiendum promptiorem. Cicero ut alibi attulimus — *Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium: ut amici ejus, morbum, & inſaniam; ut ſiculi latrocinium; ego quo nomine appellem neſcio. Rem vobis proponam*.

3 *Di-*

3 *Diviſio diſtincta*, *& bene ordinata*, quæ quum rem in ſuas partes fecet, perſpicuitatem generat, dummodo non ſit longior, aut minutior. Quam apte Tullius pro Cluentio. *Animadverti Judices, omnem Accuſatoris orationem in duas diviſam eſſe partes, quarum altera &c.*

III Quomodo, & unde *Attentio* Auditorum conciliatur?

Attentus is dicitur, qui aures ad audiendum, mentem ad intelligendum intendit. Attentionem provocat.

1 *Promiſſio*, qua pollicemur nos dicturos: Vel *de rebus novis* (novitas enim rei mentem advocat) ut Cicero pro Ligario. *Novum crimen C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum &c.* Et pro Archia. *Quæſo a vobis, ut in hac cauſa mihi detis hanc veniam &c. ut patiamini &c. uti prope novo quoddam, & inuſitato genere dicendi*: Vel de rebus *magnis, ac mirabilibus*, ut pro Rabirio. *Exiſtimare debetis, Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam majorem, magiſque periculoſam, magis ab omnibus vobis providendam, neque a Trib. plebis ſuſceptam, neque a Conſule defenſam.* Et pro Ligario. *Hæc non modo admirabilia ſunt, ſed prodigiis ſimilia*: Vel de rebus *utilibus, & jucundis*, ut in Catilinam *Orat.* 3. *Rempublicam, Quirites, vitam omnium noſtrum, bona, fortunas &c. Urbem &c. ex flamma, atque ferro, ac pene ex faucibus fati ereptam videtis &c.* Animadvertendum ſi res exigua, eandem, vel pulcra quadam, & eleganti ratione proponendam eſſe, ut provocetur attentio; vel utilitatis, neceſſitatis, jucunditatis, promiſſione tenuitatem rei compenſari oportere. Primo modo Virgilius.

Protinus aerii *mellis* cæleſtia *dona*
Exſequar &c.

Altero modo Tullius (a) *Parvis de rebus, ſed fortaſſe neceſſariis conſulimur P. C. &c.* de quo & ſupra.

2 *Poſtulatio* item, qua Orator Auditores rogat, ut animis adeſſe velint, eſt alia parandæ attentionis via. Petitur hæc, & initio Orationis, & in medio ubicunque opus ſit; Verum initio ſollicite magis. *Pro Sex. Roſcio* Tullius. *Quapropter vos oro, atque obſecro, judices, ut attente, bonaque cum venia, verba mea audiatis.*

De

(a) *Philipp*, 7.

De Economia, Stylo, Virtutibus, ac Vitiis Exordii.

1 HAbet ne Exordium certas partes, certamque earumdem ſtructuram?

1 Profectò certæ partes in Exordio aſſignari non poſſunt, nam pro cauſſarum diverſitate ſatis diverſa ratione Exordia compinguntur. Tamen Hermogenes quatuor Exordii partes aſſignat, quibus id perficiatur.

2 Prima dicitur *Propoſitio*, quæ primam ſententiam explicat, ab aliquo Exordiorum fonte acceptam, & ad Orationis argumentum pertinentem.

3 Secunda pars dicitur *Ratio*, & eſt cauſſa, quæ redditur propoſitionis; quæ propterea aliis rationibus confirmari interdum poteſt, & breviter amplificari.

4 Tertia pars dicitur *Aſſumptio*, quæ eſt Redditio, ſeu brevis complexio deducta ex Propoſitione, & Ratione.

5 Quarta pars denum vocatur *Concluſio*, & eſt Reditionis cauſſa, quæ exordii ſummam colligit, & aditum aperit reliquæ Orationi. Res exemplo fiet illuſtrior. Exordium hujuſmodi eſt illud *pro Lig. Manil.*

Propoſitio.

„ Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter „ multo jucundiſſimus; hic autem locus ad agendum am„ pliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites; „ tamen hoc aditu laudis &c.

Ratio.

„ Nam quum antea per ætatem nondum hujus auctori„ tatem loci contingere auderem; ſtatueremque nihil huc „ niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria adferri „ oportere: omne meum tempus amicorum temporibus „ tranſmittendum putavi. Ita neque hic locus vacuus un„ quam ab iis &c. Nam cum propter dilationem comitio„ rum &c.

Aſſumptio.

„ Nunc quum auctoritatis in me tantum ſit, quantum „ vos honoribus mandatum eſſe voluiſtis: & ad agendum „ facultatis tantum, quantum homini vigilanti, & forenſi

„ uſu,

„ uſu, prope quotidiana dicendi exercitatio potuit affer-
„ re: certe & ſi quid etiam dicendo conſequi poſſum, iis
„ oſtendam potiſſimum, qui ei quoque rei fructum ſuo
„ judicio tribuendum eſſe cenſuerunt.

Concluſio.

„ Atque illud in primis mihi lætandum jure eſſe video;
„ quod in hac inſolita mihi ex hoc loco ratione dicendi,
„ cauſſa talis oblata eſt, in qua oratio nemini deeſſe po-
„ teſt. Dicendum eſt enim de Cn. Pompeji ſingulari, exi-
„ miaque virtute &c.

Item *pro Milone*, Exordium habet eas partes, quarum hæc eſt ſingillatim ſubſtantia.

Propoſitio. Non poſſum non timere in hac judicii forma.

Ratio. Non enim conſeſſus veſter ea corona cingitur, qua ſolebat.

Aſſumptio. Sed me recreat Pompeji conſilium, cujus ſapientiæ non eſt telis militum dedere, quam ſententiis Judicum tradidiſſet.

Concluſio. Quamobrem adeſte animis, Judices, & timorem deponite.

II Quinam eſt ſtilus proprius Exordii?
Diverſus eſſe debet pro cauſſarum diverſitate. Judicialibus, & Deliberativis, nimius ſplendor, nimia concinnitas officit. Demonſtrativo generi major ornatus tribuitur. Generatim tamen ſit gravis, perſpicuus, aptiſque verbis & ſententiis compoſitus. Figuræ in Exordio plano ſint minus graves; In abrupto enim graviores locum habent, ut diximus. Tranſlata audaciora abſint, formulæque exquiſitiores. Figuræ Exordiorum frequentiores ſunt: *Dubitatio*, *Occupatio*, *Communicatio*. Interdum *Apoſtrophe*, ut ex Tullianis Exordiis videmus,

III Quænam ſunt vitia Exordii?
1 Octo vitioſi exordii genera afferuntur. *Ineptum*, ſeu quod non ſervat cum Oratione proportionem, & quum Auditores præparare debet, potius fatigat. *Vulgare*, ſeu quod pluribus, aut omnibus cauſſis accomodari poteſt. *Longum*, ſeu quod inutilibus redundat. *Commutabile*, ſeu quod paucis commutatis poteſt ab Adverſario uſurpari. *Separatum*, ſeu

ſeu quod minime cum argumento cohæret, quod vitium Horatius carpſit eo carmine.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi velit &c.

Tranſlatum, ſeu quod finem orationis, vel non ſpectat, vel deſtruit; ut ſi quis principio uteretur, ubi inſinuatione opus eſt: Vel ſi loco benevolentiæ, aut docilitatis comparandæ, ea proponeret, quæ odium, quæ confuſionem gignerent. Tandem *Tumidum*, & *ampulloſum* exordium vitari oportet. Etenim aut arrogantiam, aut levitatem quum ſapiat, animos alienat Auditorum, qui Horatianum illud concinent.

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Atque hæc de Exordio dicta ſint ſatis.

De Propoſitione.

I Quid eſt Propoſitio?

1 Eſt *Oratio breviter complectens rem, de qua agitur.*

II Quænam eſſe debent hujus dotes?

2 Debet eſſe, *una*, *brevis*, *perſpicua*, *ordinata*; propterea, ut in argumento conſiſtat, memoriam adjuvet, & pariat attentionem. Apud Sacrum Oratorem expedit ut ſit *facilis*, & *popularis* potiſſimum in genere Deliberativo. Cavendum propterea ne *multiplex*, ne *obſcura*, ne *paradoxa*, ne *ampulloſa*, ne *metaphorica* ſit. Inſuper ne *ſterilis*, & *exſucca*; monet enim Horatius prudenter ſane.

. . . . . & qua
Deſperes tractata niteſcere poſſe, relinquas.

3 Sunt qui *novitatem* propoſitionis dotem affirmant. Verum *nihil ſub ſole novum* reperiri nos docet Divina Sapientia. Significant, qui *novam* propoſitionem requirunt, eam ita exponi oportere, ut novitatis aliquid præferre videatur. Cavendum tamen, ne aucupandę novitatis gratia, mira illa monſtra excitentur, quæ ſuperiori ſæculo tam funeſte in animis, auribuſque omnium fere hominum dominabantur; propterea ut fuerint qui D. *Martinum parvulum Martem*, qui D. Thereſiam, *Divini Amoris Æthnam*, D. Carolum,

rolum *Rhinocerontem*, multaque his longe pejora ſe probaturos, ſeu blaſphemando, & inſaniendo dicturos pollicerentur.

III Quotuplex eſſe poteſt Oratoria propoſitio?

4 Triplex. Videlicet, vel *ſejungens*, vel *ſimplex*, vel *digeſta*, Sejungens dicitur, quum *ea, qua in controverſiam veniunt, ab iis pracidit, qua extra controverſiam relinquuntur*. Ea uſus eſt Cicero pro Milone quum dixit. *Illud in judicium venit, non occiſus ne ſit? quod fatemur: ſed jure ne, an injuria? quod multis antea in cauſſis quaſitum eſt*.

5 Propoſitio *ſimplex* dicitur, quum unum aliquid in ea continetur. Ut ſi quis dixerit. *Parandum bellum. Pax ineunda*. Cicero pro Archia. *Perficiam profecto ut hunc A. Licinium non modo non ſegregandum, quum ſit Civis, a numero Civium, verum etiam ſi non eſſet putetis adſciſcendum fuiſſe*. Et Philippica 7. *Pacem cum M. Antonio eſſe nolo*.

6 Propoſitio *digeſta* fit per enumerationem, quum videlicet, *quot de rebus dicturi, aut quibus rationibus probaturi ſimus, oſtenditur*. Hæc item *partitio*, ſeu *diviſio* dicitur. Interdum autem alteri propoſitioni ſubjicitur, quam partitur; vel tanquam totum in partes, vel tanquam genus in ſpecies &c. ut fecit Cicero Philipp. 7. mox laudata. *Pacem cum Antonio eſſe nolo &c. Cur igitur pacem nolo? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt*. Interdum vero nulli propoſitioni ſubjicitur, ſed Orator partite rem univerſam proponit; ut pro Roſcio Amerino. *Tres ſunt res, quantum ego exiſtimare poſſum, qua obſtant hoc tempore Sex. Roſcio. Crimen Adverſariorum, & audacia, & potentia*. Prior modus communior eſt. Secundus convenit, quum Oratio ad reſpondendum inſtituitur.

IV Eſt ne cavendum aliquid in *partitione?*

7 Cavendum primo, ne ſit *inadaquata*, videlicet ut membra, in quæ dividimus, diviſam propoſitionem integre complectantur. Secundo ne ſit *ſuperflua*, ne videlicet aliquod membrum excedat, aut aliud in alio includatur. Tertio ne ſit *nimia*, ne videlicet minutior ſit, ut multa nimis membra contineat. Propterea duo, tria, quatuor ad ſummum conceduntur. Ne ſit *obſcura*, & *implexa*, ut videli-

deli_

delicet planis verbis, ac facilibus exponatur. Tullius quum diviſione uſus eſt, ſemper ſimplicibus, brevibuſque verbis expoſuit, ut pro Lege Manilia. *Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo eſſe dicendum.* Et pro P. Quinctio. *Nego fuiſſe cauſſam cur poſtularet: nego ex edicto poſſidere potuiſſe: nego poſſediſſe: hac tria quum docuero, perorabo.* Demum ne ſit *turbata*, ſeu *deordinata*: ut videlicet ordinem, & gradum ſervent partes inter ſe; propterea ut quæ natura, aut ordine præcedunt præponantur, reliqua ſubjiciantur, ut oratio creſcat, & omnis confuſio arceatur.

V Eſt ne *partitio* in omni Oratione proponenda?

8 Neceſſe non eſt. Atque hoc, exemplo Ciceronis, qui ea interdum uſus eſt, eam ſæpe neglexit. Habet tamen *Partitio* ſuas utilitates. Efficit illuſtrem, & perſpicuam Orationem. Memoriam juvat. Reficit Auditores, qui certo ſingularium partium fine percepto, recreari propterea videntur, quod ſenſim Oratio ad finem vertat. Ceterum nulla Oratio eſt, in qua implicita partitio non requiratur, ſi rem pluribus, diſtincte, ordinateque probare velimus. Verum neceſſe non eſt ſingulorum argumentorum capita proponere, immo interdum obeſſe poteſt ſi proferantur.

De Narratione.

I Quid eſt Narratio?

1 Narratio eſt ex Tullio: *Rerum explicatio, & quædam quaſi ſedes, ac fundamentum conſtituendæ fidei.* Hac definitione explicatur Narratio ut eſt pars vel *eſſentialis*, vel *integralis* in Oratione. Fit enim ut rei notitia afferatur, & inde argumenta eruantur. Ceterum Narrationes, vel ſimilitudinis, vel ornamenti, vel amplificationis cauſſa in Orationem inducuntur. Verum de his alibi actum eſt. Nunc de Narratione ut eſt peculiaris pars Orationis agendum eſt.

II Quo loco ponitur Narratio in Oratione?

2 Interdum ſtatim ab Exordio ponitur. Interdum præponitur propoſitioni, interdum propoſitioni, aut cuidam

præ-

præjudiciorum remotioni poſtponitur. Cicero pro Milone, objecta quædam deluere ante voluit, quam rem ut geſta eſſet, narrare. In hoc attendendum eſt genus cauſſæ, & Oratoris prudentia poſtulatur.

III Requiritur ne Narratio tanquam pars in omni genere Orationis?

3 Requiritur in Judiciali genere potiſſimum. Locum habere poteſt in Deliberativo: Demonſtrativum continenter ſuſtentat. Hoc magis explicabitur ex inferius dicendis.

IV Qua methodo exponenda eſt Narratio?

4 Narrationi præludium quoddam præponi poteſt, ſive apta quædam ad ipſam tranſitio, ut Cicero in Maniliana Oratione ſic ab Exordio ad Narrationem deſcendit. *Atque ut inde oratio mea proficiſcatur, unde hæc omnis cauſſa ducitur; bellum grave, & periculoſum veſtris vectigalibus, atque Sociis a duobus potentiſſimis Regibus infertur*. Et pro Roſcio Amerino. *Atque ut facilius intelligere poſſitis, Judices, ea quæ facta ſunt indigniora eſſe, quam hæc ſunt, quæ dicimus: ab initio res quemadmodum geſta ſit, vobis exponam*. Animadvertendum tamen, ſi Narratio interrupte facienda ſit, ut fieri poſſe mox dicemus: præludium illud ſine faſtidio iterari non poſſe.

4 Narratio autem vel integra, & continens exponitur, vel pro rei opportunitate intercíditur. Ea fit continens, quæ rem omnem complecti poteſt non nimis longa Oratione; Hujus generis exemplum eſt in Oratione pro Ligario. *Quinctus Ligarius, quum eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, legatus in Africam cum Proconſule Conſidio profectus eſt &c.* Item pro Milone, quam Narrationem inferius dabimus. Interrupte autem exponitur, vel quum multa ſunt rerum capita in accuſatione, aut defenſione: vel quum res paullo prolixior accideret, ſi continenter, & quaſi uno ſpiritu narraretur. Cicero pro A. Cluentio hoc modo Narrationis uſus eſt. *A Cluentius Avitus fuit pater hujuſce &c.* ſic incipit Narratio. Dein poſt multa intercipit dicens. *O mulieris ſcelus incredibile &c.* Amplificat pluribus improbitatem illius feminæ; poſtea vero reliquam narrationem exponit: *Tulit hoc commune dedecus jam familia, cognationis,*

nominis &c. Hic modus narrandi in genere demonſtrativo ſervandus eſt, in eo enim cauſſa a rebus geſtis ſtabilitur; Verum Narratio, & confirmatio in hoc genere vix diſtinguuntur; neque enim aliud eſt univerſæ Orationis corpus, quam narratio quædam per amplificationes interrupta, aut continenter ornata.

V Quodnam eſt artificium texendæ Narrationis?

6 Oportet primum conſiderare ſingulas partas narrandæ rei; an videlicet omnes faveant; an omnes lædant; an partim adjuvent, partim offendant. Si omnia prodeſſe poſſint, opportuna amplificatione dilatabuntur. Si cuncta noceant, Narratio ommittenda eſt, & alia ratione defendenda eſt cauſſa. Demum quæ proſint aſſerenda: quæ obſint, vel reticenda, vel ſi minus taceri queant, ita exponenda, ut invidia, odiumque arceatur. Narrabitur autem res ordine, videlicet principium, medium, & finis ejuſdem. Pertinent *ad principium*; conſilia, occaſiones, & cauſſæ, de quibus res capta eſt. *Medium rei* eſt factum ipſum per adjuncta perſonæ, loci, temporis, auxiliorum, modi &c. *Finis* per expoſitionem effectuum, commodorum, incommodorumque perficitur. Exemplo ſit pulcherrima, omnique artificio elaborata Narratio pro Milone, quam hic ponimus, & notis in artificia ſingula inferius poſitis illuſtramus.

„ P. Clodius [1] quum ſtatuiſſet omni ſcelere in Præ-
„ tura vexare Rempublicam, videretque ita tracta-
„ eſſe comitia anno ſuperiore, ut non multos menſes
„ præturam gerere poſſet: qui non honoris gradum
„ ſpectaret, ut ceteri [2] ſed & L. Paullum Colle-
„ gam effugere vellet ſingulari virtute Civem, & an-
„ num integrum ad dilacerandam Remp. quæreret,
„ ſubito reliquit annum ſuum, ſeque in annum pro-
„ ximum tranſtulit, non religione aliqua, ſed ut
„ haberet, quod ipſe dicebat, ad præturam geren-
„ dam,

---

(1) *Antecedentia quibus Orator invidiam in Clodium gignit.*

(2) A fine *improbitatem Clodii amplificat. Hac poſuit Cicero, ut quum occiſus audiretur homo tam ſceleſtus, & Reip. infenſus, nemo eſſet, qui commoveretur.*

,, dam, hoc eſt ad evellendam Remp. plenum annum, ,, atque integrum. [3] Occurrebat mancam, ac debilem præturam ſuum futuro conſule Milone: Eum ,, porro ſummo conſenſu populi Romani conſulem fieri videbat: contulit ſe ad ejus competitores; ſed ,, ita, totam ut petitionem ipſe ſolus, etiam invitis ,, illis gubernaret, tota ut comitia ſuis, ut dictitabat, humeris ſuſtineret: convocabat tribus: ſe ,, interponebat: coloniam novam delectum perditiſſimorum ſcribebat civium. Quanto ille plura miſcebat, tanto hic magis in dies convaleſcebat. Ubi ,, vidit [4] homo ad omne facinus paratiſſimus fortiſſimum Virum inimiciſſimum ſuum, certiſſimum conſulem, idque intellexit non ſolum ſermonibus, ſed ,, etiam ſuffragiis populi Romani ſæpe eſſe declaratum: palam agere cœpit, [5] & aperte dicere occidendum Milonem. Servos agreſtes, & barbaros, ,, quibus ſylvas publicas depopulatus erat, Hetruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos ,, videbatis. [6] Res erat minime obſcura: etenim ,, palam dictitabat, conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe. Significavit hoc ſæpe in Senatu, ,, dixit in concione. Quin etiam Favonio fortiſſimo ,, Viro, quærenti ex eo, qua ſpe fureret Milone ,, vivo, reſpondit, triduo illum, ad ſummum quatriduo periturum. Quam vocem ad hunc M. Catonem ſtatim Favonius detulit. [7] Interim quum ,, ſciret Clodius [neque enim erat difficile ſcire] iter

O 2 ,, ſo-

(3) *Hinc incipit exponere ſemina inimicitiarum, ut probabile fiat, quod inferius contendet, Clodium inſidias molitum fuiſſe Miloni.*

(4) *De homine ad omne facinus paratiſſimo, inimico, & invido, facile omne ſcelus creditur.*

(5) *Sequuntur conjectura ex* dicto, *&* facto.

(6) *Probat, qua ſuperius de* dicto *affirmavit, innuens loca, in quibus dictitavit, ac teſtem Favonium aſſignat.*

(7) *Adjuncta temporis, & loci pertractat ad ſuſpicionem contra Clodium augendam, & a Milone removendam.*

,, ſolemne, legitimum, neceſſarium ante diem XIII
,, Kal. Februarias Miloni eſſe Lanuvium ad flaminem
,, prodendum, quod erat Dictator Lanuvii Milo; Roma
,, ſubito ipſe profectus pridie eſt, ut ante ſuum
,, fundum, quod re intellectum eſt, Miloni inſidias
,, collocaret: [8] atque ita profectus eſt, ut concionem
,, turbulentam, in qua ejus furor deſideratus
,, eſt, quæ illo ipſo die habita eſt, relinqueret;
,, quam niſi obire facinoris locus, tempuſque fuiſſet,
,, nunquam reliquiſſet.

,, [9] Milo autem quum in Senatu fuiſſet eo die,
,, quoad Senatus dimiſſus eſt, domum venit, calceos,
,, & veſtimenta mutavit: pauliſper, dum ſe uxor, ut
,, fit comparat, commoratus eſt: deinde profectus eſt
,, id temporis quum jam Clodius, ſiquidem eo die
,, Romam venturus erat, redire potuiſſet. (10) Obviam
,, fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda,
,, nullis impedimentis, nullis græcis comitibus ut
,, ſolebat: ſine uxore, quod nunquam fere; quum
,, hic inſidiatur (11) qui iter illud ad cędem faciendam
,, apparaſſet, cum uxore veheretur in Rheda
,, penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri,
,, & delicato ancillarum, puerorumque comitatu. [12]
,, Fit obviam Clodio ante fundum ejus, hora fere un-
,, de-

(8) *Argumentum ab omiſſione rei Clodio gratiſſima, confirmat magis eum inſidiarum cauſſa prodiiſſe:*

(9) *Adjuncta omnia, quæ ſequuntur mirifice oſtendunt voluntatem Milonis ab inſidiis remotiſſimam. Hic vero quædam minutiora recenſentur, quæ videri poſſent ſuperflua, niſi eo fine, de quo diximus in medium allata eſſent.*

(10) *Adjuncta Clodii, ejus voluntatem ad inſidiandum paratam innuunt.*

(11) *Ironia hoc loco mirifice facit, & impedimenta, quæ recenſentur, magis animum Milonis innoxium probant.*

(12) *Iterum ab adjuncto* loci *ſibi fidem conciliat, & quod locus ante Clodii fundum eſſet, & quod ſuperior eſſet. Item inſidiæ probantur quod primus fiat ab eo ſuperiori loco impetus, & quod Rhedarius Milonis occidatur.*

,, decima, aut non multo ſecus. Statim complures ,, cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiore impe- ,, tum: adverſi Rhedarium occidunt; quum autem ,, [13] hic de rheda rejecta penula deſiluiſſet, ſeque ,, acri animo defenderent: illi qui erant cum Clodio ,, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut ,, a tergo Milonem adorirentur, partim quod hunc ,, jam interfectum putarent, cædere incipiunt ejus ,, ſervos, qui poſt erant. (14) Ex quibus qui animo ,, fideli in Dominum erant, & præſentes fuerunt, ,, partim occiſi ſunt, partim quum ad rhedam pugna- ,, ri viderent, & domino ſuccurrere prohiberentur, ,, Milonemque occiſum etiam ex ipſo Clodio audirent, ,, & ita eſſe putarent; fecerunt id ſervi (15) Milonis ,, (dicam enim non derivandi criminis cauſſa, ſed ut ,, factum eſt) neque imperante, neque ſciente, neque ,, præſente Domino, quod (16) ſuos quiſque ſervos ,, tali in re facere voluiſſet.

De Confirmatione.

I Quid eſt Confirmatio?

1 Confirmatio, quæ etiam *aggreſſio*, & *contentio* appellatur: eſt *Pars Orationis, qua argumentando noſtra cauſ-*

(13) *Milo juſtam defenſionem exercet, & Clodiani Milonem adoriuntur, & ejus ſervos necant: An non iſti provocant, & vim faciunt?*

(14) *Laudantur Servi Milonis, tum necati, tum ſuperſtites, quod fideles Domino eſſent. Hoc invidiam amovet ab iis, qui Domini defendendi cauſſa Clodium dejecerunt.*

(15) *Clodii nex Servis datur, ut ſi quid criminis forte ineſſet a Milone ſemoveatur, qui neque* imperans, *neque* ſciens, *neque* præſens *dicitur.*

(16) *Formula hac plena artis, invidia declinanda cauſſa excogitata eſt, mirificeque ad rem facit: noluit enim Tullius necatum dicere Clodium, ſed circuitione illa potius uti, qua ſubobſcure necem ſignificaret, aperte autem nihil odioſi proferret.*

ſa fidem, *& auctoritatem*, *& firmamentum adjungit*. Hæc eſt pars Orationis maxima, immo Oratio ipſa, ſeu corpus Orationis. Nam ceteræ partes, brevibus aut expediuntur, aut ſupplentur. Hæc vero ſit oportet latior, & copioſior. Nam argumentationibus probare debet, quod aſſumptum eſt ad probandum; Hæ vero non modo exponendæ ſunt, verum etiam amplificandæ in omni genere, ſeu demonſtrativo, ſeu deliberativo, ſeu judiciali.

II Quid faciendum eſt Oratori, ad texendam confirmationem?

2 Propoſitione expoſita, oportet excogitare argumenta, quibus probari poſſit. Argumenta debent per argumentationes ad probandum accomodari. Tum argumentationes diſponendæ, & oratorio modo exponendæ ſunt, quibus propoſitio ſtabiliatur. Quid ſit *argumentum*, & quid *argumentatio* ſuperiori libro tradidimus.

III Quinam ordo ſervandus inter argumenta, ſive argumentationes?

3 Hunc ordinem Cicero *(a)* adſignat: videlicet ut validiora præcedant; quæ leviora fuerint, in mediam turbam conjiciantur; præſtantiſſima in extremo ordine collocentur: & quamvis a minimis creſcere poſſit, ut ratio cauſſæ poſtulabit, nunquam tamen a potentiſſimis ad leviſſima decreſcat Oratio.

IV Quo modo oratorie tractantur argumentationes?

4 Quum diverſæ ſiut argumentationum ſpecies, diverſa item ratione proferuntur, immo eadem argumentationis forma non uno modo exponi poteſt. Methodus ſervanda generatim hæc eſto. Primo proponenda breviter eſt res, quæ probanda ſuſcipitur. Deinde ratio propoſitum confirmans afferatur, aut ſyllogiſmo, aut enthymemate, aut alia quamvis argumentatione comprehenſa, quæ amplificanda, & ornanda eſt. Demum Concluſio ponatur e ratione deducta. Verum de ſingulis argumentationibus agere, operæ pretium eſt, ut ars percipiatur.

De

[a] *de Orat. lib.* 2.

De Syllogiſmo Oratorie tractando.

1 QUo pacto Syllogiſmus exponi ſolet ab Oratoribus?
2 Non uno modo. Nam quum Syllogiſmus tribus illis propoſitionibus conſtet, hæ varia ratione ordinantur. Non ſemper Orator dialecticam methodum ſequitur: ſolet enim paullo eam immutare, aut invertere, quum is, vel indirectis ſyllogiſmis, vel perturbatis utatur.

2 Interdum itaque *Aſſumptio* præfertur *Propoſitioni*. Interdum *Complexio* ipſa *propoſitioni*, & *aſſumptioni* anteponitur. Interdum *complexio* prorſus reticetur, & duæ ſolummodo priores propoſitiones amplificantur. Atque hoc quantum ad ordinem ſpectat. Generatim vero cuilibet Syllogiſmi enuntiationi (qualiſcunque ſervetur ordo) probatio ſubjicitur ſua, propterea ut ſyllogiſmus quodammodo quinque partitus evadat; ſeu verius loquendo, ſyllogiſmus cum duobus enthymematis conjungatur. Afferamus exempla.

Habet Tullius pro M. Cœlio hunc ſyllogiſmum. *Non eſt veriſimilis eum qui ſtudiis litterarum deditus eſt, vivere luxurioſe. Sed Cœlius deditus eſt ſtudiis litterarum. Ergo Cœlius non vivit luxurioſe.* En quo pacto expoſuerit. Primo orditur a Complexione. *At vero in M. Cœlio [dicam enim jam confidentius de ſtudiis ejus honeſtis, quoniam audeo quædam, fretus veſtra ſapientia libere confiteri] nulla luxuries reperietur, nulli ſumptus, nullum æs alienum, nulla conviviorum, ac luſtrorum libido, quod quidem vitium ventris, & gutturis non modo non minuit ætas hominibus, ſed etiam auget: Amores autem, & hæ deliciæ quæ vocantur, quæ firmiore animo præditis diutius moleſtæ non ſolent eſſe; mature enim, & celeriter defloreſcunt; nunquam hunc occupatum, impeditumque tenuerunt.* Hoc ſi paucis comprehendas iſtis æquivalent: *Cœlius non vivit luxurioſe.* Quæ ſequuntur hanc amplificant enuntiationem, quæ eſt Sillogiſmi aſſumptio. *Cœlius deditus eſt ſtudiis litterarum.* Ait enim. *Audiſtis quum pro ſe diceret: audiſtis antea quum accuſaret [defendendi hæc cauſſa, non gloriandi loquor) genus orationis: facultatem, copiam ſententiarum, atque verborum, quæ veſtra prudentia eſt, perſpexiſtis. Atque in eo non ſolum in-*

genium elucere ejus videbatis: quod ſæpe, etiam ſi induſtria non alitur, velut tamen ipſum ſuis viribus: ſed inerat, niſi me propter benevolentiam forte fallebat, oratio, & bonis artibus inſtituta, & cum vigiliis elaborata. Demum Propoſitionem ſubnectit hoc modo amplificatam. *Atqui ſcitote, Judices, eas cupiditates, quæ objiciuntur Cœlio, atque hæc ſtudia, de quibus diſputo non facile in eodem homine eſſe poſſe. Fieri enim non poteſt, ut animus libidini deditus, amore, deſiderio, cupiditate, ſæpe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc quidquid eſt, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, verum etiam cogitando poſſit ſuſtinere. An vos aliam cauſſam &c.* Proſequitur a raritate Oratorum idem demonſtrans.

Pro Milone en alium Tullii Syllogiſmum. *Si Clodio utile erat occidere Milonem, Clodius inſidiatus fuit Miloni. Sed Clodio utile erat occidere Milonem. Ergo Clodius inſidiatus fuit Miloni.* Hunc pariter aggreſſus a Complexione, quam breviſſime, interrogatione, vix innuit, & ad propoſitionem latius diffuſam tranſiit, ac deſiit demum in Aſſumptione. *Quonam igitur pacto probari poteſt inſidias Miloni feciſſe Clodium?* En concluſionem. *Satis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei cauſſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe &c.* Hæc eſt propoſitio. *Atqui Milone interfecto, Clodius hoc aſſequebatur, non modo ut Prætor eſſet non eo Conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet, ſed etiam ut his Conſulibus Prætor eſſet, quibus ſi non adjuvantibus at conniventibus certe ſperaſſet, ſe poſſe Rempublicam eludere &c.* His continetur Aſſumptio. Hæc turbati partium ordinis exempla ſunto.

3 Verum quum Orator etiam nativum ordinem ſervare poſſit in ſyllogiſmo, tum maxime ſingulas propoſitiones late diffundit; propterea ut habeatur *Propoſitio*, dein *Propoſitionis probatio*, *vel expolitio*, tum *Aſſumptio*; hinc *Ratio ejuſdem*, demum *Concluſio*. Exemplum optimum Tullius præbet. [a] Hunc ille ſyllogiſmum amplificandum ſuſcepit. *Ille eſt optimus Imperator, qui in bello multum valet auctoritate. Pompejus multum auctoritate valet. Ergo Pom-*

[a] *Orat. pro Leg. Manil.*

Pompejus eſt optimus Imperator. Seriem amplificationis per partes ſingulas præbeo.

Propoſitio.

„ Et quoniam auctoritas multum in bellis quoque ad„ miniſtrandis, atque imperio militari valet; certe nemi„ ni dubium eſt, quin ea in re idem ille Imperator plu„ rimum poſſit.

Propoſitionis probatio.

„ Vehementer autem pertinere ad bella adminiſtran„ da, quid hoſtes, quid ſocii de Imperatoribus veſtris „ exiſtiment, quis ignorat? quum ſciamus homines in„ tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut o„ derint, aut ament, opinione non minus famæ, quam„ aliqua certa ratione, commoveri.

Aſſumptio, & ejuſdem explicatio.

„ Quod igitur nomen unquam in orbe terrarum cla„ rius fuit? cujus res geſtæ pares, de quo homine vos „ id, quod maxime facit auctoritatem, tanta, & tam præ„ clara judicia feciſtis? An vero ullam uſquam eſſe oram „ tam deſertam putatis, quo non illius diei fama perva„ ſerit, quum univerſus populus Romanus referto foro, „ repletiſque omnibus templis, ex quibus hic locus con„ ſpici poteſt, unum ſibi ad commune omnium gentium „ bellum Cn. Pompejum Imperatorem depoſcit?

Ratio Aſſumptionis.

„ Itaque, ut plura non dicam, neque aliorum exem„ plis confirmem: quantum hujus auctoritas valeat in bel„ lo; ab eodem Cn. Pompejo omnium rerum egregiarum „ exempla ſumantur, qui quo die a vobis maritimo bello „ præpoſitus eſt imperator, tanta repente vilitas annonæ „ ex ſumma inopia, & caritate rei frumentariæ conſecu„ ta eſt unius ſpe, & nomine, quantam vix ex ſumma„ ubertate agrorum diuturna pax efficere potuiſſet &c.
Sequitur amplificans ab aliis ejus factorum exemplis, quæ hic brevitatis cauſſa omittuntur.

Concluſio.

„ Poteſtis igitur jam conſtituere, Quirites, hanc au„ ctoritatem, multis poſtea rebus geſtis, magniſque ve„ ſtris judiciis amplificatam, quantum apud illos Reges,

quan-

,, quantum apud ceteras nationes valituram eſſe exiſti-
,, metis.

De Enthymemate Oratorie exponendo.

I Qua ratione Enthymema ab Oratoribus tractatur?
1 Eadem ferme ratione, ac Syllogiſmus, videlicet, & ordinato, & inverſo partium ordine, & propoſitioni, quam *antecedens* Dialectici vocant, adjecta probatione. Cicero [a] nativo ordine hoc enthymema expoſuit, & argumentum, ſive *antecedens* adjecta ratione dilatavit. En ipſum dialectice. *Lex de repetundis eſt conſtituta cauſſa Sociorum Ergo arbitratu ſociorum agendum eſt in cauſſa de repetundis.* Oratorie, en ipſum.

,, Quaſi verum dubium ſit, quin tota lex de pecuniis
,, repetundis ſociorum cauſſa conſtituta ſit. Nam civibus
,, quum ſunt ereptæ pecuniæ, civili fere actione, & pri-
,, vato jure repetuntur: hæc lex ſocialis eſt: hoc jus na-
,, tionum exterarum eſt: hanc habent arcem, minus ali-
,, quanto nunc quidem munitam, quam antea; verunta-
,, men, ſi qua reliqua ſpes eſt, quæ ſociorum animos
,, conſolari poſſit, ea tota in hac lege poſita eſt, cujus
,, legis non modo a populo Romano, ſed etiam ab ulti-
,, mis nationibus jampridem ſeveri cuſtodes requiruntur.
,, *En antecedens.* Quis igitur eſt, qui neget oportere eo-
,, rum arbitratu agi, quorum cauſſa lex ſit conſtituta.
,, *Hoc eſt conſequens.*

Brevius Seneca ad Lucullum ordine inverſo.
Sine faſtidio implendus eſt venter. Quid enim ad rem pertinet quid accipiat, perditurus quidquid acceperit? Recto ordine hæc eſt argumentatio. Venter perdit quidquid accipit. Ergo venter ſine faſtidio eſt implendus. *Seneca delectum ciborum improbat hoc loco.*

2 Sed ratio, quæ optima cenſetur ea eſt, quum ex oppoſitis Enthymema compingitur, & breviter per interrogationis figuram, ſeu directe, ſeu præpoſtere exponitur. Dicitur enim enthymema, curtum argumentum eſſe, & hoc potiſſimum modo vibratur, ac ferit. Cicero (b) hoc uſu-
rus

[a] *Divinat. in Verr.* (b) *Pro Mil.*

rus Enthymemate. *Ceteri lætantur*; *Ergo is lugere non debet*, *per quem lætantur* : ſic recto ordine illud jaculatur. *Nam quid eſt ingratius*, *quam lætari ceteros*, *lugere eum ſolum*, *per quem ceteri lætantur?* Idem (a) *Ergo illum*, *qui hæc fecerat*, *Rudium hominem majores noſtri in Civitatem receperunt*: *nos hunc Heracleenſem multis Civitatibus expetitum*, *in hac autem legibus conſtitutum*, *de noſtra Civitate ejicimus?* Inverſo ordine idem (b) *Quonam modo ille vivens vos afficeret*, *qui mortuus inani cogitatione percuſſit?* Dialectica argumentatio hæc eſt. *Clodius*: nam de hoc agit : *mortuus vos cogitando commovet*. *Ergo vivus multo magis vos perturbaret*.

Enthymemata hujuſmodi, *opportuna in primis accidunt*; *quum Orator latius ante propoſitis argumentis*, *ad acrius movendum*, *&* *ſuadendum vehementius deſcendit*.

De modo, quo ceteræ Argumentationes ab Oratore proferuntur.

I Quomodo Orator Dilemma proponit?

I Hæc Argumentatio vix alia ab Oratore, atque a Philoſopho ratione tractatur. Eſt enim quaſi gladius utrinque feriens, quod comminus, celerique manu verſatur. Tullius (c) contra Clodiam diſſerens. *Ea ſi tu non es*, *ſicuti ego malo*; *quid eſt*, *quod objiciant Cœlio?* *Sin eam te volunt eſſe*, *quid eſt cur nos crimen hoc*, *ſi te contemnas*, *pertimeſcamus?* Paullo latius Divinatione in Verrem. *Utrum Q. Cæcili hoc dices me non Siculorum rogatu ad cauſſam accedere*, *an optimorum*, *fideliſſimorumque Sociorum voluntatem apud hos gravem eſſe non oportere?* *Si id audebis dicere*, *quod C. Verres*, *cui te inimicum eſſe ſimulas*, *maxime exiſtimari vult*, *Siculos hoc a me non petiſſe*; *primum cauſſam inimici tui ſublevabis*; *de quo non prejudicium*, *ſed judicium plane jam factum putatur*, *quod ita percrebuit*, *Siculos omnes actorum ſua cauſſa contra illius injurias quæſiſſe*. *Hoc ſi tu*, *inimicus ejus*, *factum negabis*, *quod ipſe*, *cui*

(a) *pro Archia poeta*. (b) *pro Mil.*
(c) *pro Cœlio*.

cui maxime hæc res obſtat, negare non audet: videto, ne nimium familiariter inimicitias exercere videare.

II Quid de Epicheremate, & Sorite dicendum?

1 Nihil præter ea, quæ de quinquepartito Syllogiſmo diximus, de Epicheremate adjici oportet; neque enim ab ea argumentatione diſtinguitur, ut alibi diximus. De Sorite monemus cavendum, ne quid abſurdum, aut parum conſequens deducatur; nam ſecus nullam vim habet, qua poſſit aliquid confirmari.

De Confutatione,

I Quid eſt Confutatio?

1 Confutatio, ſeu Refutatio, vel Reprehenſio, *eſt pars Orationis, qua Cauſſa adverſantia diſſolvit?*

II Qua arte Refutatio perficitur?

2 Pluribus modis fieri poteſt, quorum illud eſt optimum, quod magis opportunum uſuvenit Orationi. Orator enim neget, defendat, transferat, excuſet, deprecetur, molliat, minuat, avertat, deſpiciat, derideat opus eſt, quum poſtulat argumentum.

3 Si negari poſſit, neganda eſt. Cicero negavit a Roſcio Amerino Patrem fuiſſe occiſſum; Dejotarum Regem molitum Cæſari inſidias: Cœlium paraſſe venenum Clodiæ &c.

4 Si negari res nequeat; aut defendenda, aut obſcuranda, aut mollienda eſt. Cicero Murenam non ambitus cauſſa, ſed ſua liberalitate ſibi voluntatem Pop: Romani conciliaviſſe: Dejotarum, non contra Cæſarem, ſed ad fines ſuos tuendos, exercitum paraviſſe affirmavit.

5 Quę neque dilui, neque obſcurari poſſunt, vel digreſſione aliqua obruantur, vel joco temperentur, aut urbano ſale eludantur. Tullius pro Murena, S. Sulpitio auctoritatem ademit, & M. Catonis Stoici diſciplinam faceti̇ſſime deriſit, quo factum fuit ut judicium illud riſu diſſolveretur, & Murena abiret indemnatus. Et pro Cœlio, cui objecta fuerat Catilinæ familiaritas, per digreſſionem Catilinam deſcripſit, a quo multos deceptos fuiſſe affirmavit.

6 Si argumentum ferat; in Adverſarios eſt retorquendum. Cicero occiſionem Patris, cujus Roſcius accuſabatur, ipſis Accu-

Accuſatoribus tribuendam probat. Judicium, quod corruptum a Cluentio dixerant, ab Oppiniaco Cluentii adverſario emptum contendit.

7 Generatim tam ſolidis argumentis objecta diluenda ſunt, ut ex his, quæ afferuntur, concluſio neceſſaria eliciatur.

III Quinam ordo in diſſolvendis rationibus eſt obſervandus?

8 Ille, qui eſt cauſſæ accomodatior. Si multa ſint, ac diverſa: vel idem in confutando, qui adhibitus fuit in objiciendo, ſervabitur ordo rationum, vel primum validiora enervabuntur, & leviora deinceps quaſi uno ſpiritu exſufflabuntur; vel contra res fiet, ſi fieri accomodum cauſſæ opinabimur. Si omnia ab uno capite pendeant, hoc ante elevandum, ut cetera dilabantur. Proderit leviora tranſvolare, aut præterire; gravioribus inſiſtere; debiliora infectari, irridere, verſare, concutere, prudenter tamen, & artificioſe.

9 Generatim ſolet opponi objectio cum ſua ratione; dein ſubjici reſponſio cum opportunis probationibus. Exemplum eſt pro Archia apud Tullium. Interdum ſimpliciter adverſarii dictum affertur, cui ſtatim refutatio objicitur. Ita pro Milone: *Negant intueri lucem &c. In qua tandem Urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? Nempe in ea &c.*

IX Quem locum habet Refutatio inter partes Oratorias?

10 Non habet certiſſimum locum; tamen vel ſtatim ab Exordio, vel poſt Confirmationem, & ante Perorationem collocatur. Cicero pro Milone præpoſuit; Pro Lege Manilia, poſt collocavit. In cauſſis, quibus præjudicia multum obeſſe, cognoſcuntur, ante opportunum eſt ab his Auditorem purgare, quam faventia argumenta proferre.

Famulantur Confutationi figuræ potiſſimum Interrogationis, *Subjectionis, Occupationis. Interdum Ironia, Dialogiſmus, Exclamatio, Execratio, Conceſſio &c. Miſcentur ſales, facetiæ, & ſarcaſmi. Sed videndum quibuſcum agatur. Nam proderit aliquando adverſariis ſtultitiam, improbitatem, crudelitatem objicere. Interdum mitius agendum erit, immo gratioſe, & officioſe. Cicero pro Milone Adverſarios ſtultiſſimos appellavit. Pro Lege Manilia, ſalva Adverſariorum gratia, ac dignitate ſummorum etiam Virorum contrarias opiniones refellit.*

De

De Peroratione.

I. QUid eſt Peroratio?

1 Eſt *exitus*, *& terminatio totius Orationis*. Dicitur etiam *Concluſio*, & Epilogus.

II Quodnam eſt hujus poſtremæ partis munus?

2 Duplex eſt. Enumeratio, & Amplificatio. Primo enim recenſentur capita argumentorum; Deinde affectus provocantur.

3 *Enumeratio* præſtare debet tribus dotibus. Primo *brevitate*: videlicet ut ea tantum recenſeantur, quæ ſunt rerum capita, cetera minutiora omittantur. Secundo *Varietate*: videlicet, ut formulæ adhibeantur novæ, vel ut per figuram aliquam partes enumerentur. Tertio *Gravitate*: ne videlicet ſicce, & jejune, ſed cum verborum ſplendore quæ colligimus efferantur. Cicero (a) ita ſummam colligit univerſæ Orationis. *Quare quum bellum ita ſit neceſſarium, ut negligi non poſſit; Ita magnum, ut accuratiſſime ſit adminiſtrandum: & quum ei Imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis virtus, clariſſima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum bonum, quod a Diis immortalibus oblatum, & datum eſt, in Rempublicam conſervandam, atque amplificandam conferatis?*

4 *Amplificatio*, alterum Epilogi munus, *eſt vehemens quædam argumentatio ad motum animorum inſtituta*. Eſt hæc in primis utilis Oratori, nam quæ decent minus obtinent. Sæpe enim illud recurrit, quod Medea apud Ovidium inquit — *Video meliora, proboque, Deteriora ſequor*. At multo plura homines faciunt, amore, cupiditate, iracundia, dolore, odio perculſi. Immo pro motus diverſitate, diverſum gignitur in nobis judicium: ut in eum, quem amamus, etſi peccaverit, ſumus multo mitiores, quam in eum, quem odio proſequimur. Igitur movendorum affectuum ars, erit a nobis hoc loco diligenter inveſtiganda.

De

[a] *Pro Leg. Manil.*

De Affectibus generatim.

I Affectus eſt generatim: *animi commotio ex opinione boni vel mali exorta*.

2 Affectus præcipui ſunt. *Deſiderium*, *Spes*, *Lætitia*, ſeu Gaudium. *Odium*, *Ira*, *Triſtitia*, *Timor*, *Deſperatio*, *Commiſeratio*, *vel Æmulatio*, *Admiratio*, *Pudor &c.*

3 Affectus quilibet propoſitione, ſeu boni, ſeu mali commovetur. Hinc vel ab *Honeſto*, vel ab *Utili*, vel a *Delectabili*, & contra *Turpi*, *Pernicioſo*, *Gravi*, ſeu moleſto &c. ciendi ſunt.

4 Excitantur Affectus potiſſimum in gravioribus cauſſis, veluti quum de vita agitur, de fama, de fortunis, de libertate, de Religione, de Republica, & ſimilibus. Leviora argumenta commotiones non poſtulant graviores.

5 Prodeſt ad eos vehementer provocandos dicendi copia, rerumque illuſtratio, & evidentia: propterea ut illa non tantum dici, ſed quaſi oculis conſpici videantur. Prodeſt Oratorem eo motu animi excitari, quem vult in Auditoribus provocare. Ajebat enim Antonius [a] fieri non poſſe ut doleat is, qui audit, aut oderit, aut invideat, aut pertimeſcat aliquid, ut ad fletum, vel miſericordiam deducatur, niſi omnes hi motus, quos Orator adhibere vult, in ipſo Oratore impreſſi, inuſtique videantur. In ſacris Oratoribus valet deſiderium divini honoris, ſaluriſque Chriſtianorum; valet per eos Dei cauſſam tractari, ſi iſtud conſiderent, quod profecto conſiderandum eſt, ne ſuo deeſſe muniri velint, & fictam ſuſcepiſſe cauſſam quodammodo videantur. Verum de præcipuis affectibus dicendum eſt ſingillatim.

De Amore, & Odio.

1 Amor: eſt *Affectus*, *quo alicui bonum percupimus*: *eique efficere ſtudemus*. Alicui autem vel bonum volumus, non noſtri, ſed ejus cauſſa; vel ejus ſimul, & noſtri, aut noſtri tantum. Primo modo *Amor amicitiæ* dicitur. Secundo

[a] *Lib. de Oratore*.

do *Amor concupiſcentiæ*. Nunc de utroque agimus, & Ideas quibus commoveri poſſit innuimus. Cietur autem.

2 I *A Bonitate Rei, ut in ipſa eſt*. Hæc autem bonitas eſt quælibet præſtantia, ſive *propria*, ſive *participata*.

3 Amorem excitabis in aliquem, quod corpore ſit valido, quod pulchro, elegantique adſpectu, quod gravi inceſſu &c. Potiſſimum vero, ab animi bono, nempe virtute: quod Juſtus, Fortis, Liberalis, Fidelis, Prudens, Doctus &c. habeatur; in his vero *bonitas propria* poſita eſt.

4 Item a nobilitate generis, a prolis præſtantia, ab Amicorum gratia, a Patriæ excellentia, hæc vero dicuntur *bonitas participata*. Ab his fontibus Illioneus Didonem provocat ad Amorem *Æn.* 1. & Cicero *pro Arch.* in narratione.

II *A bonitate ut in aliud diffunditur*, amor item mirifice provocatur. In aliquem conciliabis amorem, ſi eum ſuavem Amicis, ſi utilem dicas, ſi gratiarum memorem: Nihil eum ad ſe, omnia ad Amicorum bonum referre: Multum ab eo præſidii, & commodi, in proſperis, & adverſis ſperandum: Dignitatem nos ab eo, ſecuritatem, aut voluptatem conſecutos &c. Cicero pro L. Flacco ita peroravit. *Proſit quod hic, vobis videntibus in periculis communibus omnium veſtrum ſua pericula cum meis conjunxit: proſit &c.* & inferius. *Tu, tu, Flacce, prætor communis exitii nuntios cepiſti, tu incluſam in litteris Reip. peſtem deprehendiſti, tu periculorum indicia, tu ſalutis auxilia ad me, & ad Senatum attuliſti &c.*

II *Odium eſt affectus, quo malum, aut propter ſe, aut propter nos averſamur.*

5 Movetur contrariis amori fontibus. A vitio gigni poteſt, & corporis, & animi. Quod illud turpe, neglectum, ſordidum &c. Quod hic vitioſus; puta ſuperbiens, imbellis, imprudens, præceps, indoctus &c. *atque hoc animum in ſe ipſo reſpicit*: Aut quod contumelioſus, violentus, rapax, moleſtus, tenax, avarus &c. *quæ vitia aliorum damno vertunt*. Ab ignobilitate item, ab infamia, ab odio ceterorum, a Patriæ, aut Parentum, & Conjunctorum vilitate, aut improbitate &c. poteſt odium provocari. Cicero in Piſonem per omnes fere hujuſmodi locos tranſcurrit?

Videri

Videri poſſunt quæ docuimus, quum de laude egimus, ac vituperatione, nam multa eorum præſenti tractationi accidere poſſunt opportuna.

De Miſericordia, & Indignatione.

AFfinis amori affectus, eſt *miſericordia*, ſeu *commiſeratio*. Qui enim alicujus miſeretur, aut bonum ei vult, aut ſaltem ab eo removeri malum deſiderat. Hinc omnes amoris ciendi fontes, hauriri item poſſunt ad commovendam miſerationem. Verum de hac quædam peculiaria dicemus.

1 *Miſericordia* eſt *Ægritudo animi ex malo, vel præſenti, vel proximo alterius*. Hæc vero provocatur.

I *Si malum grave eſſe demonſtretur*; ut egeſtas, cruciatus, morbi, infamia, mors, & ſimilia, quibus vel animi, vel corporis, vel honoris, vel fortunæ bonis privamur. Immo quo gravius erit damnum, eo magis miſericordia elicietur. Cicero Pro Quintio hunc locum tractat dicens. *Ab ipſo* Nævio *repudiatus, ab amicis ejus non ſublevatus, ab omni magiſtratu agitatus, atque perterritus, quem præter Te appellet* (Aquili) *habet neminem. Tibi ſe, tibi ſuas omnes opes, fortunaſque commendat, tibi committit exiſtimationem, ac ſpem reliquæ vitæ, multis vexatus contumeliis, plurimis jactatus injuriis &c.* multo autem præſtantius pro Roſcio Amerino, quem Adverſariorum nequitia in extremam calamitatem deductum multis dixerat, in peroratione hæc inter cetera habet. *Rogat, oratque te Chryſogone, ſi nihil de patris fortunis ampliſſimis in ſuam rem convertit, ſi nulla in re te fraudavit, ſi tibi optima fide omnia conceſſit, adnumeravit, appendit; ſi veſtitum, quo ipſe tectus erat, annulumqne de digito ſuum tibi tradidit, ſi ex omnibus rebus ſe ipſum nudum, neque præterea quidquam excepit; ut ſibi per te liceat innocenti, amicorum opibus vitam in egeſtate degere. Prædia mea tu poſſides, ego in egeſtate vivo: concedo. Mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt: fero &c.*

II *Si qui malum patitur eo indignus putetur*. Vel propter pietatem, virtutem, animique præſtantiam, vel propter ætatem, nobilitatem, pulcritudinem &c. Virgilius (a) de Pallante. P .... *ma-*

(a) *Aen.* 10.

. . . . maſtamque Evandri primus ad Urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

Cicero autem hunc locum tractans ita Milonem loquentem inducit, *Valeant*, inquit, *valeant Cives mei, ſint incolumes, ſint beati: ſtet hac Urbs praclara, mihique patria cariſſima quoquo modo merita de me erit: tranquilla Reſpub. cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſine me ipſi; ſed per me tamen, perfruantur &c. o fruſtra*, inquit, *ſuſcepti labores mei, o ſpes fallaces, o cogitationes inanes mea! Ego quum tribunus plebis Repub. oppreſſa me Senatui dediſſem &c.* Proſequitur ſua in Rempub. merita amplificans, quibus exilio indignus videatur.

III *Si qui malo vexatur, feliciori fortuna gaviſus fuerit.* Prodeſt enim præteritam felicitatem comparare cum præſenti calamitate, ut miſeratio facile exoriatur: præcipue ſi fons iſte cum ſuperiori commiſceatur. Huc pertinet Virgilianum illud. [a] *Quantum mutatus ab illo Hectore.* Cicero autem pro Murena perorans. *Modo beneficio Populi Romani ornatus, fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in mancipium antiquiſſimum, conſulatum attuliſſet: nunc idem ſquallore ſordidus, confectus morbo, lacrymis, ac mærore perditus, veſter eſt ſupplex, judices, veſtram fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, veſtram poteſtatem, ac veſtras opes intuetur &c.* Proſequitur vel inferius ab eodem capite comparationem.

3 Famulantur huic affectui mirum in modum adjuncta Perſonæ, loci, temporis, finis, modi. Quæ diligenter pertractanda ſunt. Prodeſt etiam Auditores monere, poſſe & ipſis impendere eandem calamitatem. Conſiderent, quam ægre perferrent. Quantum vellent pietatem ceterorum experiri. Nunc misereri oportere, ſi quando ceterorum miſericordiam ſperandam eſſe ducant &c. Atque hæc de *commiſeratione.*

II *Indignatio* eſt affectus *quo animus agre fert proſperitatem ejus, qui hac indignus exiſtimatur.*

4 Provocatur conſideratione eorum, quibus aliquis immerens felicitatis eſſe videatur. Famulatur præſertim comparatio.

(a) *Aen. 2.*

ratio, qua vitia animi, aut prioris vitæ ſordes, ac vilitas cum præſentis temporis potentia, opibus, gratia, dignitate conferantur. Virgilius [a]

Impius hęc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes?

Horatius (b)

Sectus flagellis hic triumviralibus
Praconis ad faſtidium,
Arat Falerni mille fundi jugera.

5 Poteſt etiam hic affectus excitari in eos, qui calamitate aliqua afficiantur, ſi eam ſibi ipſis improbitate, ſceleribus, immoderatis ſumptibus, luxu, ebrietate &c. paraviſſe affirmentur. Verum hic affectus raro quidem, & ſolius, aut juſtitiæ, aut pœnitentiæ cauſſa, Chriſtiano homini uſuvenit excitandus.

De Ira, & Lenitate.

I IRa eſt *conjuncta cum dolore, ſperata punitionis cupiditas ob contemptum.*

1 Quamquam vero Apoſtolus monet iram, & indignationem deponendam eſſe, tamen quo pacto excitari juſtis de cauſſis poſſit, hic loci tradidimus, monentes illud Davidis. *Iraſcimini & nolite peccare.*

2 Conſiderandus igitur erit contemptus, ex quo ira gignitur, Deſpectus, videlicet, quo quis negligitur; aut violentia, qua quis, ne quod cupit habeat, impeditur; aut contumelia, qua quis voluptatis ſuæ gratia, alium dedecore afficit. His ita commovetur.

Primo. Si factum per hypotypoſim exponatur. Secundo. Si comparatio illius, qui injuriam fecit, cum eo qui accepit inducatur; illius autem vitia, conditionem, fortunam, famam vel exoſam, vel obſcuram &c. commemorabis. Hujus vero virtutem, præſtantiam, dignitatem, innocentiam &c. conſiderare, opportunum accidet. Tertio. Si injuria comparatione minorum amplificetur, vel tempus non præſens modo, ſed etiam futurum ſpectare oſtendatur. Demum, ſi qua injuriæ ſigna oculis objiciantur, ut cica-

(a) Eccl. 2. [b] Epod. 4.

trices, vulnera, ſciſſæ veſtes &c. Fertur Antonius veſtem Cæſaris pugionibus perforatam quum oſtendiſſet, populum vehementer in Brutum, & Caſſium excitaſſe. Ad iram Alecto furiarum una, ſic Turnum ſtimulavit [a]

Turne tot incaſſum fuſos patiere labores,
Et tua Dardaniis tranſcribi ſceptra Colonis?
Rex tibi conjugium, & quæſitas ſanguine dotes
Abnegat, externuſque in Regnum quæritur heres.
I nunc, ingratis offer te irriſe periclis:
Tyrrhenas, i, ſterne acies: tege pace Latinos.

Cicero in Vatinium, Piſonem, & Antonium, eundem affectum pertentat.

II *Lenitas* contrarius iræ motus, eſt *animi mitigatio*. Commotus autem animus ſedatur.

Primo. Si oſtendas rem, non ex contemptu factam, aut ex animo malo, ſed caſu, vel primo iræ motu, vel conſuetudine, qua is talia in ſe, in ſuos agat, fuiſſe commiſſam. Secundo ſi invitum offendiſſe probaveris. Tertio. Si crimen fateare, veniam depreceris, criminis pœnitere affirmaveris, & pœnam mereri graviſſimam non detrectes. Quarto. Si ejus qui offendit præterita merita commemores. Quinto. Si eam, quæ in ignoſcendo continetur, gloriam, & animi magnitudinem commendes. Sexto. Si ejus quem lenire vis, laudem interſeras. Septimo. Si per eos, qui imbecilliores ſunt, & qui de vi inferenda, omni ſuſpicione vacant, veniam poſtules, cujus generis ſunt pueri, ſenes, feminæ &c.

3 Cicero Cæſarem mulcet in Ligarium: *Voluntate* inquiens, *omnes tecum fuerunt, tempeſtate abreptus eſt unus, qui ſi conſilio id feciſſet, eſſet eorum ſimilis, quos tu tamen ſalvos eſſe voluiſti*. Superius eadem Peroratione Ligarium ita loquentem inducit. *Erravi, temere feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio &c.* & circa finem. *Nulla de virtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt; Homines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua majus, quam ut poſſis; nec natura tua melius, quam ut velis conſervare quam plurimos*. Virgilius autem (b) Turnum hæc loquentem facit, quibus Æneam mitiget.

(a) *Aen.* 7. (b) *Aen.* 12. .... *equi-*

. . . . . equidem merui, nec deprecor, inquit;
Utere ſorte tua. Miſerere, ſi qua Parentis
Tangere cura poteſt, oro: fuit & tibi talis
Anchiſes genitor. Dauni miſerere ſenectæ.

Tullius item pro Fontejo, Sororem, ac Matrem; Pro Flacco puerum filium interponit. Pulcherrima eſt apud Livium Volumniæ, ac Vetturiæ ad Coriolanum ſedandum concio.

De Metu, & Confidentia.

I **M***Etus* eſt *ægritudo ex opinione gravis mali impendentis*. E. G. morbi, infamiæ, carceris, mortis, amiſſionis liberorum, aut fortunarum, invaſionis hoſtium &c.

2 Metum excitabis. Primo. Si malum proponas, & ejus magnitudinem amplifices, in quo hypotypoſis figura locum habebit in primis opportunum, illudque ſpectandum erit mali genus, quod ratione perſonarum, quas commovere ſtudeas magnum putetur: ut avaro, pecuniæ, ambitioſo, honoris, molli, deliciarum jactura graviſſima exiſtimatur. Præterea malum ita proponendum erit, ut non commune, ſed peculiare, ac proprium eorummet quos alloquimur periculum oſtendatur, nam hoc mali genus animos magis pertingit.

Secundo. Si malum hoc imminens eſſe demonſtres, quod potiſſimum vim habet ad hunc effectum. Imminere autem docebis, ſi eum, quem metui vis: poſſe, velle, parare malum probaveris. *Poteſt* autem ille, cui vires animi, corporis, fortunæque in promptu ſunt. Et *vult* qui affectu nocendi tenetur, aut ad nocendum utilitate ducitur, qui acri natura eſt, qui vehementi animo, & ad vindictam proclivi &c.

Tertio. Si exempla in medium afferas eorum, qui ſimili in re, eadem, aut majora ſint paſſi.

Quarto. Si oſtenta quædam proferas, atque hæc malum minitari affirmes, & damna futura portendere.

a Cicero Oratione, *In Catilinam* 4. timorem excitat ab his fontibus. *Quare P. C. incumbite ad reipub. ſalutem, circumſpicite omnes procellas, quæ impendent niſi providetis &c.*

 tenen-

tenentur ii, qui ad Urbis incendium, ad veſtrum omnium cædem, ad Catilinam accipiendum, Romæ reſtiterunt: tenentur litteræ, ſigna, manus: denique unius cujuſque confeſſio: ſollicitantur Allobroges: ſervitia excitantur: Catilina accerſitur: id eſt initum conſilium, ut interfectis omnibus, nemo ne ad plorandum quidem pop. R nomen, atque ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur &c. Inferius vero per *hypotypoſim* mirifice. *Videor mihi hanc Urbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, ſubito uno incendio concidentem: cerno animo ſepultam patriam, miſeros, atque inſepultos acervos civium &c. tum lamentationem matrumfamilias, tum fugam Virginum, atque puerorum, ac vexationem Virginum Veſtalium perhorreſco &c.*

II *Confidentia, eſt Spes conjuncta cum imaginatione rerum, vel ſalutarium proxime conſequendarum, vel horribilium removendarum.* Animus enim erigitur, vel quum bonum imminet, vel quum malum procul eſſe intelligitur. Excitatur hujuſmodi ſpes.

Primo. Si oſtendes aliquid fieri poſſe, & in re ſimili factum eſſe, Secundo. Si præteritum periculum commemores ſimile, aut majus, e quo is evaſerit, cujus animum confirmare cupias: ut apud Virg. *O paſſi graviora &c.* Tertio. Si alios vel pares, vel impares id periculi vitaſſe doceas. Quarto. Si auxilia in promptu eſſe dixeris, quæ periclitanti præſtolentur: favorem, puta, pecunias, vires &c. vel in re militari, arma, exercitus, Duces, robur animorum &c. Quinto. Si periculum per diminutionem extenues, per partes diſcurrendo.

3 Fiduciam auget ſpes divinæ opis, quam pollicebimur, argumentis opportunis; E. G. vaticiniis, portentis, Deique, aut Sanctorum in ſimili diſcrimine tutela præſentiſſima: Vel ſupplicationibus adhibitis, ſacrificiis, muneribuſque oblatis, conceptis votis &c.

4 Tullius [a] Romanorum animos acuit ad bellum pyraticum quod optimum Imperatorem habeant: [b] ab auſpicio Deorum, quod pollicetur, ad ſperandam Reip. ſalutem Auditores cohortatur in Antonium.

[a] *Pro Leg. Manil.* [b] *Philipp. 4.*

De Pudore, & Impudentia.

I Pudor, ſeu Verecundia, *eſt animi perturbatio ea iis, quæ adferunt ignominiam.* Eſt enim pudor boni nominis, & exiſtimationis cuſtos, propterea hic ſolet ad tuendum decus in primis commoveri.

1 Duobus autem verecundia provocatur. A rebus, quæ turpes, & indecoræ habentur, & a Perſonis, apud quas verecundari ſolemus.

2 *A primo capite* pudorem excitabis. Primo. Si ea objicies, quæ ab animi vitio proficiſcuntur, ut ſunt *timiditas, ignavia, ſtoliditas, inſcitia, libido, mollities, jactantia, aviditas &c.* Cicero pro Lege Manilia. *Delenda eſt vobis hæc macula Mithridatico bello ſuſcepta, quæ penitus jam inſedit, atque inveteravit in Pop. R. nomine.* Secundo. Si corporis ipſius vitia ad conſiderandum præbeas. *Os turpe, nigrum colorem, dentes putridos, truncas nares &c.* Talibus agit Tullius in Piſonem. *Non enim nos color iſte ſervilis, non piloſa gena, non dentes putridi deceperunt, oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus &c.* Tertio. Si fortunæ conditionem pudendam detegas; *obſcuram ſtirpem, vilem artem, anguſtam rem &c.*

3 *Ab altero capite* verecundiam ciebis ſi nomen periclitari oſtenderis: Primo apud Viros, a quibus in honore is habetur, quem verecundari curas: qui nempe eum ſuſpiciunt, vel quos ipſe plurimi facit, vel apud quos fieri cupit; ut ſunt, Senes, Nobiles, Eruditi, Graves Viri &c. Secundo apud eos, in quorum conſpectu verſatur. Tertio apud eos, qui ab eo crimine ſunt alieni. Quarto apud eos, qui facile res divulgant. Quinto apud eos, qui vitia carpunt. Sexto apud eos, quibus antea bene ſemper audivit. Item apud Servos, Amicos, aut Conjunctos eorum, quos hucuſque connumeravimus: nam ab his facile ii reſcire poſſunt. In Miloniana peroratione hæc Tullius ſibi pudenda objicit, ad miſericordiam Miloni impetrandam. *O me miſerum! O infelicem! Revocare Tu me in Patriam, Milo, potuiſti per hos: ego te in patria per eoſdem retinere non potero? Quid reſpondebo Liberis meis, qui te parentem putant? Quid tibi Q. Frater, qui nunc abes conſorti mecum temporum illorum? &c.*

 II *In-*

11 *Inverecundia*, ſive *Impudentia* eſt *Conatus animi in ea, qua exiſtimationem offendunt*.

4 Excitari poteſt *diminutione* eorum, quæ turpia cenſentur, ut vel nihilum, vel parum offendere nomen videantur; vel *contemptu* eorumdem, & *cohortatione ad id ſuſcipiendum, quod cæteris cenſetur cum ignominia conjunctum*. Hoc præcipue *a legitimo*, *ab utili*, vel *jucundo* præſtari poteſt, quo *turpe*, aliqua ratione temperari videatur. Anna apud Virgilium animos adjicit Didoni, ne turpe exiſtimet Æneæ connubium, ab utroque fonte.

De Lætitia.

1 Lætitia eſt motus animi cogitatione præſentis boni excitatus.

2 Movet hunc affectum *Propoſitio magnitudinis boni*, & amplificatio ejuſdem ab opportunis locis. Item *Comparatio*, vel cum bonis minoribus, vel cum malis præteritis, aut poſſibilibus. *Omnia inſuper fauſtarum rerum* lætificant, & *propoſitio rerum ſuaviorum, & pulcriorum*. Cicero poſt reditum præteritam calamitatem cum præſenti felicitate comparans inquit, *Etſi homini nihil magis optandum, quam proſpera, æquabilis, perpetuaque fortuna, ſecundo vita ſine ulla offenſione curſu: tamen ſi mihi tranquilla, & pacata omnia fuiſſent, incredibili quadam, & pæne divina, qua nunc veſtro beneficio fruor, lætitia voluptate caruiſſem. Quid dulcius hominum generi a natura datum eſt, quam ſui cuique liberi? &c.* Recenſet bona, quæ reddita ſibi experitur. Et in Catilinam (a) *Tandem aliquando L. Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem &c. vel ex Urbe ejecimus &c.* Hic a depulſione præteriti mali lætitiam ciet, Virgilius vero Pollionis exultationem cumulavit hæc de ejus puero ominatus:

Ille Deum vitam accipiet, diviſque videbit
Permixtos Heroas, & ipſe videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

Atque hæc de affectibus tradidiſſe ſufficiat.

Hic loci affectuum movendorum artem docuimus, quod ſit Perorationis, eoſdem provocare. Tamen in univerſa Oratione affectuum doctrina locum habet: qua eo propterea revocanda erit, quo argumentum poſtulabit.

(a) *Orat. 2.*

RHETORICARUM INSTITUTIONUM LIBER TERTIUS.

De variis Orationum ſpeciebus.

TRia eſſe Cauſarum Genera Libro hujus Operis primo docuimus. Nunc ſpecies Orationum varias, cuilibet Generi ſubjiciendo trademus. Ac primum *De Orationibus generis Demonſtrativi.*

De Oratione Panegyrica.

I QUid ſignificat *Panegyrica Oratio?*

1 Erat Græcis, unde nomen ſortita eſt, *Oratio, quæ in quibuſdam celebritatibus, populique univerſi conventu pronunciabatur.* Hæc vero quoniam multiplicem laudationem continebat, Panegyrica Oratio deinceps, ea omnis appellata eſt, *quæ in Principum, aut illuſtrium Virorum commendatione verſaretur.* Nunc ad celebranda potiſſimum Sanctorum geſta creberrimum uſum habet.

II Qua ratione contexi poteſt *Oratio Panegyrica?*

2 Exordium quod attinet, ille eſt fons hauriendus, qui videatur opportunior.

3 Ad Confirmationem, in promptu ſint tria illa bonorum genera *externorum*; *corporis*; *& animi*, de quibus alibi, multa ſunt dicta. Geſta ipſa Perſonæ, univerſam Confirmationis materiem præbent. In his exornandis aliquis ordo ſervandus erit.

4 Vel igitur temporum ſeriem conſequitur Orator, vel res ad quædam præcipua capita reducit. Primus modus faci-

facilis, ſed vulgaris, & plerumque languidus: immo ſi ejus, quem laudare vis geſta ſint plurima, & vita ejuſdem longi ævi extiterit, fieri non poterit, ut ſine Auditorum ſummo tædio, rem exſequaris. Hunc tamen ordinem proſecutus eſt Plinius in celebri illo Trajani Panegyrico. Sed omnia tam venuſte, tam argute, tam graviter tractavit, ut merito Orationi illi laus maxima tribuatur. Qui illum ordinem ſequuntur, conſiderare plerumque ſolent, *quæ ortum præceſſerunt Laudandæ Perſonæ*; *Quæ in vita ab ea geſta ſunt*; *Mortem*, ſi quid habet illuſtre, *& quæ mortem ſunt conſecuta*. Hæc rerum ſeries in iis laudationibus adhiberi poteſt, ad quas non magna rerum copia habeatur.

2 Alter modus eſt pulcrior, & artem, & ingenium ſapit. Immo interdum neceſſarius eſt, ut copioſiſſima factorum ſeries, & diverſitas, aliqua ratione dirigatur. Servatur itaque diſtributio quædam generum, ſub quibus omnia collocentur. E. G. laudaturus ſanctum aliquem Virum, quem Eccleſia colat, Eum dices erga ſeipſum *ſobrie*, erga ceteros *juſte*, erga Deum *pie*, egiſſe. Tullius Pompejum commendans, omnia, ad *ſcientiam*, ad *virtutem*, ad *auctoritatem*, ad *felicitatem* in re militari pertraxit. Quum hic ordo ſtatuitur, tum ſingula, quæ ad peculiaria capita pertinent, ſub iis locantur, eo ordine, qui Oratoris judicio accomodus videatur Quædam vix attingi expedit, quædam coacervari: nonnulla diffundi oportet, nonnulla exornari, comparatione, ſimilitudine, deſcriptione &c. ut admiratio potiſſimum excitetur.

3 Epilogi loco, Auditores ad imitationem provocandi erunt; & ſi Divum aliquem exornaverimus opportunum erit ejus opem, ac tutelam deprecari.

Cavendum ne omnia exornare velimus, res enim fiet infinita. Immo ſi minutiora, & leviora amplificaverimus, graviora & præſtantiora infirmabimus. Fiet enim ut Auditor, qui imbecilliora exaggerari deprehenderit, minorem vel excellentioribus fidem habeat; admirationem vero vix ullam concipiat. Præterea, etſi licet ingenus degredi, præſertim in jejunis quibuſdam argumentis; tamen ne multa, ne frequentiores ſint digreſſionis,

ſiones ; ne deſcriptiones , aut ſimilitudines minutiores , aut nimis poetica. Evidentia quidem curetur, qua magnam in admirationem vim habet. Comparationes item prudentia regantur. Non enim, ejus gratia, quem tu extollis, alterius aut factum deprimas, aut minuas opinionem.

De Oratione Gratulatoria, & Gratias agente.

I QUid eſt Oratio *Gratulatoria?*

1 Eſt Oratio, *qua alicui propter bonum ei partum gratulamur*. Aliquibus dicitur etiam *Epinicium*. Verum Epinicium, eſt ob relatam de hoſtibus victoriam ad aliquem Oratio. Nos de *Gratulatione* generatim diſſerimus.

2 Hæc Orationis ſpecies, in obliqua commendatione verſatur. Nam *Laus* eſt hujus præcipua pars.

3 *Primo* tamen, & Exordii loco exponendum eſt, quantum voluptatis ceperimus ex proſpero illius ſucceſſu. Proderit non noſtrum modo, ſed aliorum inſuper gaudium exponere. Publica lætitiæ ſigna, ſi adfuerint, recenſere, immo & ea quæ caſu aliquo acciderint, ingenioſe in lætitiæ communis argumentum deflectere. Notiſſimum eſt illud Virgil.

Nocte pluit tota: Redeunt ſpectacula mane.
Diviſum Imperium cum Jove Cæſar habet.

Item apud Mamertinum, barbarum ceteroqui Oratorem, talia in argumentum voluptatis indicia ſtudioſe pertracta leguntur. Verum ne frigeat cogitatio: neque minutiora, aut abjectiora hilaritatis ſigna perſequamur. Neque enim rei dignitas, quædam ferre poteſt vulgaria: ut eſſent plebejæ voces, & concurſationes; puerorum luſus, & cantilenæ: cæcorum plauſus, & ab iis decretæ ſupplicationes &c. Nam hæc vileſcunt, & argumenta quædam ſunt parvi pendenda.

4 *Secundo*. Oſtendendum erit id boni, non caſu aliquo, ſed merito, & virtute, ei fuiſſe decretum. Hic locum habet commendatio, ex notis fontibus; Item amplificatio, tum geſtorum illius, cui gratulamur: tum boni, quo ille

actus

actus eſt, propterea ut alterum alteri reſpondere aptiſſime videatur. Licebit interdum tranſcurrere in laudationem ejus urbis, aut familiæ, cui honor, aut emolumentum acceſſit, & cum eis gratulationem communicare.

5 *Tertio*, vel agendæ erunt gratiæ, in primis Deo bonorum omnium Largitori; dein ceteris, ſi qui ſint, a quibus illud dignitatis, ſive utilitatis effluxerit: vel Deus deprecandus, ut bonum illud perpetuum eſſe velit; eum vero qui cumulatus recenti bono fuerit, ita fortunet; ut dignitati reſpondere: ut patriæ, ſuorum, Reipub. utilitati, bonoque datus, & auctus fuiſſe cenſeatur.

6 Demum *adhortatio* locum obtinere poterit: primo ad eum ipſum cujus cauſſa gaudeamus, ut contendat per hunc honoris gradum majores adſcendere, ſi majores optari poſſint; ſin minus: ut in ſummo culmine, non modo ſe ampliſſimo muneri parem, verum & ſpe omnium de eo concepta, longe majorem manifeſtet. Deinde ad omnes, ut ſentiant qua ratione bona hominum augeantur, & virtutem diſcant, & honorem contendant virtute adipiſci. Virgilius quum Aſcanii geſta commendaviſſet, Apollinem ei gratulantem induxit in hunc modum. [a]

Macte nova virtute puer: ſic itur ad aſtra,
Diis genite, & geniture Deos. Jure omnia bella
Gente ſub Aſſaraci fatu ventura reſident.

& Cicero cum Julio Cæſare de ejus victoriis, imperioque agens, ſic eum affatus. *Quare gaude tuo* iſto tam excellenti bono, & fruere cum fortuna, & gloria, *tum etiam natura, & moribus tuis; ex quo quidem maximus eſt fructus, jucunditaſque ſapienti. Cetera quum tua recordabere, etſi perſepe virtutis, tamen plerumque felicitati tuæ gratulabere. De nobis, quos in Republica tecum ſalvos eſſe voluiſti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientia tua cogitabis, quæ non modo ſumma bona, ſed nimium audeo vel ſolæ dicere &c.* & inferius: *Omnia ſunt excitanda tibi C. Cæſar, uni, quæ jacere ſentis belli impetu, quod neceſſe fuit, perculſa, atque proſtrata. Conſtituenda judicia, revocanda fides &c.*

II Quid eſt Oratio *Gratias agens*, ſive *Eucbariſtica?*

7 *Eſt*

[a] *Aen. 9.*

7 *Eſt gratiæ, quam alicui habemus teſtificatio*. Habet plerumque tres partes.

8 *Primo* beneficium exponitur, & bonum, quod conſecuti fuimus, recenſetur. Atque hic locum habet amplificatio, qua utriuſque magnitudo exprimatur. Fieri poteſt a comparatione præteriti ſtatus cum præſenti, ab enumeratione utilitatum, quas adepti ſumus, ab effectis lætitiæ, quam ceperimus, a diminutione ceterorum bonorum, quæ longe accepto bono minora, affirmentur. Sæpe etiam tanta dicitur accepti muneris amplitudo, ut nulla poſſit ratione ſatis aut cognoſci, aut exponi. Cicero in Oratione *poſt Reditum ad Quirites* extollit beneficium Pop. Rom quod ſe ab exilio revocaſſent, conferens id cum beneficio Parentum, immo & Deorum; item cum reditu aliorum, qui pridem in Patriam fuerant revocati.

9 *Secundo*. Ornatur ea virtus, quam in nos exercuit is, cui gratias habere profitemur. Immo laudari idem poteſt ab iis locis, quorum ſæpe meminimus. Idem Tullius pro Marcello reſtituto gratias agens, una & beneficium, & Cæſaris laudes magnificentiſſime exornavit.

10 *Tertio*. Grati animi memoriam, & beneficii vicem pollicemur; cui ſi nos pares arbitremur, æquale, aut majus reddituros non eſſe teſtabimur; ſin impures, vinci nos meriti pondere adfirmabimus, ſpondebimus tamen gratiſſimum animum, memoriamque accepti muneris ſempiternam. Hoc loco vota ad Deum fundi licet, quibus bona maxima iis ominemur, qui fuerint de nobis optime meriti: ut eos ſoſpitet: ut fortunet: ut quantum nos, virium imbecillitate, deeſſe officio prohibeamur, tantundem Deus mira liberalitate comulatiſſime largiatur. Cicero ad Quirites pollicetur beneficii memoriam, ſibi colendam benevolentia ſempiterna, ſeque omnia ſua compoſiturum ad Reipub. utilitatem. Verum & ea pulcherrima gratiarum actio Eneæ ad Didonem (*a*)

O ſola infandos Trojæ miſerata labores,
Quæ nos reliquias Danaum, terræque, mariſque
Omnibus exhauſtos jam caſibus, omnium egenos,
Urbe, Domo ſocias: Grates perſolvere dignas

Non

[*a*] *Aen*. 1.

Non opis eſt noſtra, Dido, nec quidquid ubique eſt
Gentis Dardaniæ, magnum quæ ſparſa per orbem.
Di tibi, ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid
Uſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti
Præmia digna ferant &c.

Idem Æneas ad eandem (a)

. . . . . . Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam, Regina, negabo
Promeritam: nec me meminiſſe pigebit Eliſæ
Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.

De Oratione Natalitia, ſeu Genethliaca.

1 QUid eſt Oratio *Natalitia?*

1 Eſt *quæ habetur in die natali alicujus.* Fit autem, vel quum aliquis eſt prole recens donatus: vel ad aliquem habetur proveсta ætate, ea die recurrente, qua natus fuit. Poſteriori modo, vix a Panegirica Oratione diſtinguitur. De priori ſermonem inſtituimus.

2 Hæc Orationis ſpecies verſatur generatim in laude cum *Parentum*, tum *Prolis* recenter auctæ. Habet inſuper commune aliquid cum *Gratulatoria*, præcipue quod attinet lætitiæ, & hilaritatis ſignificationem. Quin omnis *Natalitia* Oratio, eſt item *Gratulatoria*. Vide igitur, quæ paullo ante docuimus.

3 *Parentum laus* ducitur a locis illis communibus, de quibus alibi multa, quum de *Perſonarum commendatione* tractavimus. Ibidem monuimus, poſſe quempiam a *Prole ipſa* laudari. Sed in hac Oratione, & ceteri adhiberi poſſunt ad celebrandum fontes.

4 *Proliis laus*, quæ ſterilis ceteroqui videri poteſt, habetur a duplici capite: videlicet *& ab iis quæ adſunt in præſens, & ab iis, quæ in poſterum futura ominamur*; Ad præſens pertinet *dies, aut tempus*, puta celeberrimum, fauſtiſſimum, vernum &c. quo puer natus eſt: pertinet *locus*, illuſtris, frequens, &c. ut ſi inopinate quis in Regiis ædibus, in ſummo monte, in Foro, in Templo &c. editus fuiſſet. *Ad tempus, aut locum* referri poſſunt, quædam, quæ

(a) *Lib.* 4.

quæ fortuito acciderint, ut lux inopina, fulgur, fulmen, tonitru &c. quum in lucem prodiret. *Atque hæc externa proli ipſi*. Alia ſunt *proli intima*: ut oris dignitas, & pulchritudo, vis membrorum, oculorum hilaritas, riſus, aut feſtivita &c. ex his puer ornandus.

5 *Omina futurorum* argumentamur a Majorum virtute; ab iis, quæ ipſi puero ineſſe diximus, a futura educatione, a fortuitis events, ſi quæ fortaſſe acciderint, vel ſi quæ opportune in omen proſperum deflecti poſſint. Habent etiam hic locum vota, quibus recenti proli bona omnia deprecemur. Virgilius (a) Pollionis filio cecinit Genethliacum, in quo plures ex iis, quos innuimus, fontes adiit. Poſt Muſarum invocationem ſic ait.

Ultima Cumęi venit jam temporis ętas:
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cęlo demittitur alto.

En *tempus*, cui tribuit vaticinium illud Cumeæ Sybillæ. Sequitur *deprecatio* ad Deos, ut puero faveant, mixta tamen cum *ominatione*, quam præterea multis exequitur dicens

Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc ęvi, te Conſule inibit
Pollo, & incipient magni procedere menſes.
Te Duce &c.

Deinde miſcet breviter *Parentum laudes*.

At ſimul Heroum laudes, & facta parentis
Jam legere, & quę ſit poteris cognoſcere virtus.

Sequuntur alia omina fauſtarum rerum multa, Tum hortatur puerum ut nutantem mundum adſpiciat, & Matrem ſuam intueatur.

Aſpice convexo nutantem pondere mundum &c.
Incipe, parve puer, riſu cognoſcere matrem &c.

Moneo plura apud Poetas hujus generis exempla haberi; quam apud Oratores. Poteſt tamen vel Orator hoc dicendi genere exerceri.

[a] *Eccl.* 4.

De Oratione funebri.

I QUid eſt funebris Oratio:

1 *Eſt ea, quæ in funere habetur*: videlicet paullo poſt obitum alicujus, quum adhuc recens dolor. Ceterum ſi quæ anniverſaria mortis die pronuncietur, ea ad hanc ſpeciem referri poteſt. Verum de prima acturi ſumus.

II Quo modo texitur hujuſmodi Oratio?

2 *Exordium* trahendum eſt ab adjunctis, quæ dolorem, luctumque præſeferant. Hæc vero facile occurrent ſi tempus præcipue ſpectetur, & cum Perſona, quam lugemus conferatur. *Præteritum* nempe, conſiderantes qualis, quantuſque is fuerit, quam comis, quam doctus, quam gravis, quam utilis &c. *Præſens* item; innuentes quam gravis habeatur ejus jactura, quam doleant, aut ſqualleant multi ab ejus interitu. Poterit etiam, ſi res admiſerit, deſcribi funeſtus Defuncti adſpectus, pallor horribilis, macies, ariditas &c. Hoc vero potiſſimum dabitur, ſi de Juvene agatur, vel ſi Mater Filium, ſi Uxorem Maritus defleat, *Futurum* tempus argumenta luctus præbebit, ſi ſpem innuamus de illo conceptam, futuræ ejus gloriæ, aut noſtræ, aut aliorum utilitatis &c. quam amiſimus.

3 *Expedit* ex abrupto ordiri, nam hæ cauſſæ tale potiſſimum exordii genus depoſcunt, ut ſuo loco monuimus. Cicero de Oratore (*a*) mortem Craſſi lugens ſic habet. *O fallacem hominum ſpem, fragilemque fortunam, & inanes noſtras contentiones, quæ in medico ſpatio ſæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur, quam portum conſpicere potuerunt!* Et paullo poſt. *Fuit hoc luctuoſum ſuis, acerbum patriæ, grave bonis omnibus &c.* Philippicarum vero Lib. 9. ita orſus eſt. *Vellem Dii immortales feciſſent, P. C. ut vivo potius Ser. Sulpicio gratias ageremus, quam honores mortuo quæreremus.* Æneam vero ſic Pallantis interitum deflentem Virgilius fecit. (*b*)

Te ne, inquit, miſerande puer, quum læta veniret
Invidit fortuna mihi? ne regna videres

No-

(*a*) *Lib.* 3. (*b*) *Aen.* 11.

Noſtra? neque ad ſedes victor veherere paternas? &c.
hæc a ſpe futurorum deducta. A præſenti adſpectu, Euryali Mater, Filium ſic lugere ingreditur apud eundem. (a)

Hunc ergo, te Euryale, adſpicio? tu ne ille ſenecta
Sera mea requies? &c.
Heu, terra ignota, canibus data præda latinis,
Alitibuſque jaces.

4 *Confirmatio* complectetur Defuncti laudes. Quod vero hanc partem attinet, nihil a Panegyrica differt Oratione; propterea hic loci ea recurrunt, quæ ſuperius de ordine in ea ſervando animadvertimus, fonteſque adeundi ſunt omnium laudum, qui opportune effluere poſſe videantur. Si mors aliquid habuerit præclarum, ea exornanda eſt plurimum. Tullius quum de morte eorum differeret, qui pro Rep. contra Antonium pugnaverunt, eorum interitum magnifice celebravit. *O fortunata mors*, inquit, *quæ natura debita, pro patria eſt potiſſimum reddita! Vos vero patria natos judico, quorum etiam nomen a Marte eſt:* [erant Milites Legionis Martiæ, a Marte dictæ:] *ut idem Deus urbem hanc gentibus, vos huic Urbi genuiſſe videatur. In fuga, fœda mors eſt, in victoria glorioſa. Etenim Mars ipſe ex acie, fortiſſimum quemque pignerari ſolet. Illi igitur impii, quos cecidiſtis, etiam ad inferos pœnas parricidii luent. Vos vero, qui extremum ſpiritum in victoria effudiſtis, piorum eſtis ſedem, & locum conſecuti. Brevis autem vobis vita data eſt; & memoria bene reddita vita ſempiterna &c.*

5 Solet Confirmationi *Conſolatio* ſubnecti ad leniendum dolorem Parentum, Amicorum, Agnatorum, Civium &c. qui aliquam cum mortuo habere putentur conjunctionem, cui officio, gloria eadem, ſi in morte fuerit, plurimum famulatur. Item ſpes manſuræ apud Poſteros memoriæ, & certitudo quædam feliciſſimæ immortalitatis, qua is donatus fuiſſe credatur, cujus funus oratione proſequimur. Cicero eadem Oratione, cujus paullo ante meminimus hæc ſubdit. *Sed quoniam P. C. gloria munus optimis, & fortiſſimis Civibus monumenti honore perſolvitur; conſolemur eorum*

(a) *Aen. 9.*

rum proximos, quibus optima eſt hæc quidem conſolatio. Parentibus, quod tanta Reipub. præſidia genuerunt; liberis, quod habent domeſtica exempla virtutis: conjugibus, quod iis viris carebunt, quos laudare, quam lugere praſtabit, fratribus, quod in ſe, ut corporum, ſic virtutum ſimilitudinem eſſe confident, &c. Æneas de Pallantis morte diſſerens, Evandri *conſolationem* hic egit. *(a)*

. . . . . At non, Evandre pudendis
Vulneribus pulſum adſpicies: nec ſoſpite dirum
Optabis nato funus pater.

Idem Ecloga 5 in obitu Daphnidis, ab ejus glorioſa immortalitate ſolamen trahit canens hæc.

Candidus inſuetum miratur lumen Olympi:
Sub pedibuſque videt nubes, & ſidera Daphnis,
Ergo alacris ſilvas, & cetera rura voluptas,
Panaque, Paſtoreſque tenet, Dryadaſque puellas.

6 *Perorationis* locum tenere ſolet *Adhortatio* ad ſuperſtites, ut dolore depoſito, Defuncti virtutes celebrent, earum memoriam animo perpetuam teneant, eaſdem vero in primis imitentur; Vel *Adprecatio*, qua immortalem ei famam ominemur, cujus inter homines vita deleta eſt; Vel *Pollicitatio* noſtrarum laudum, aut alienarum, quas eidem certiſſime ſpondeamus non defuturas. Virgilius de Niſo, & Euryalo.

Fortunati ambo. Si quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo
Dum domus Æneæ Capitoli immobile ſaxum
Accolet, Imperiumque Pater Romanus habebit.

Catullus ad Manlium.

Non poſſum reticere Deæ (b) qua Manlius in re
Juverit, aut quanti juverit officiis,
Ne fugiens ſaclis obliviſcentibus ætas
Illius hoc cæca nocte tegat ſtudium.
Sed dicam vobis: vos porro dicite multis
Millibus, & facite hæc charta loquatur anus;
* *Omnibus inque locis celebretur fama ſepulti,*
Noteſcatque magis mortuus, atque magis.

Et

[a] *Aen.* 9.
(b) *Muſa.*

Et ſub finem ejuſdem Elegiæ præſtantiſſimæ

Hoc tibi quo potui confectum carmine munus
Pro multis a iis redditur officiis,
Ne noſtrum ſcabra tangat rubigine nomen
Hac atque illa dies, atque alia, atque alia.
Huc addent Divi quamplurima, quę Themis olim
Antiquis ſolita eſt munera ferre piis &c.

Inter Orationes Demonſtrativi generis ſolent nonnulli *Nuptialem* recenſere, ſed hæc potius Poetarum eſt, quam Oratorum; qui tamen ſi talem Orationis ſpeciem ſuſcipiant: *In Conjugum laudibus, a notis fontibus verſabuntur, & in omine concordię felicitatis, & optimę prolis.* Exempla ſuppeditabunt plurima Poetæ optimi. Pulcherrimum eſt Catulli Epithalamium, & Carmen *De Nuptiis Pęlei.*

De Orationibus quibuſdam Generis Deliberativi.

AD hoc genus pertinet omnis ſuaſio, ac diſſuaſio: Cohortatio, ac dehortatio, de quibus priore Libro egimus, quum earum fontes proponeremus. Aliqua item eorum, quæ attulimus, quum de epiſtolis ageremus, huc facile redeunt; propterea hinc brevibus expediemur; nam de ſola Commonitione, Petitione, & Conſolatione agemus.

De Oratione ad commonendum.

I QUid eſt Oratio commonens, ſive ad commonendum conſcripta.

1 Eſt illa, qua unum aliquem, aut multos de re commonemus, quam oporteat emendari.

2 Cavendum ne admonendo lædamus; nam finis ſit oportet benevolentia, & amor in eum, cujus emendationi ſtudeamus. Propterea initium a fontibus capiatur benevolentiæ excitandæ: vel a laude Perſonæ, quam alloquimur. Expoſitio eorum, quæ corrigenda ſint, narrationis locum tenebit. Confirmatio *ab honeſto, glorioſo, utili &c.* eruatur. Invectiva, & objurgatio ſi adhibeatur, non Perſonam; ſed vitium ipſum, ejuſque turpitudinem petat. Poteſt etiam per

 con-

commiſerationem tractari monitio, qua magis audientis amor, ac deſiderium emendationis excitetur.

3 Qui ſibi monendum aliquem ſumit, eo vitio careat, quod coarguit. Polleat auctoritate, neque ulla vitii nota labore.

De Petitoria Oratione.

I Quid eſt Oratio petitoria?

1 Eſt ea, qua aliquid poſtulamus, vel noſtrum, vel aliorum cauſſa. Hoc genus Orationis requirit: primo ut id poſtuletur, quod is præſtare poſſit, a quo poſtulamus: deinde ut honeſtum ſit, quod petimus: præterea ut argumenta inducantur apta ad ſuadendum.

2 Animadvertendum inſuper a quo petamus. Nam ſi Perſona ſit nobis minus favens, aut ei fortaſſe gravis accidat res poſtulata: tum inſinuatione opus eſt, juxta ea, quæ ſuperius de Exordio multa præcepimus.

3 Fieri autem ſolet hujuſmodi Oratio, per Exordium petitum, vel a commendatione illius, quem poſtulaturi ſumus, vel ab aliquo alio benevolentiæ loco. Deinde argumenta a *poſſibili*, a *facili*, a *glorioſo*, *&c.* trahi poſſunt. Expedit remunerationis pollicitationem ſubnecti, qua concludatur. Addi poteſt concepta ſpes rei obtinendæ, & ne temere concepta videatur, addantur cauſſæ, quod alias ſit de nobis optime meritus: quod ſoleat omnibus prodeſſe: quod non modo non petentibus, ſed immerentibus liberaliter multa, ac magna concedat &c. Adferri poteſt pro hujus exemplo, Petitio Junonis ad Æolum. [a]

Æole, namque tibi Divum Pater, atque hominum Rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos &c.
quam videbis apud Virgilium.

De Oratione ad conſolandum.

I Quid eſt Oratio conſolatoria?

1 Eſt ea, qua mærentium animos ergimus. Exordium elici poteſt, vel ab *Adjunctis Perſonarum*: vel a *Genere ad ſpeciem*, ut ſi laus fortitudinis, & conſtantiæ proponatur. Confirmatio ab *honeſto*, *glorioſo*, *utili*, *neceſſario*, *&c.* deduci

[a] *Aen.* 4.

duci poteſt. Nam laudabilis eſt in adverſis fortitudo. Utilis nobis calamitas ad profectum. Rerum humanarum eam eſſe conditionem, ut ſint caducæ, & infortuniis obnoxiæ. Addi poſſunt exempla eorum, qui immoto animo talia, immo pejora pertulerint &c. Perbreve eſſe omne malum, ac demum mala omnia morte eſſe delenda; & calamitatem, ſi æquo animo adverſa pertulerimus, cum æterna felicitate commutandam &c.

De Orationibus, quæ ſpectant ad Genus Judiciale.

INvectiva, & Objurgatio, hic loci breviſſime innuentur.

1 Eſt *Invectiva* acris quædam Oratio, *qua vel Perſonam, vel vitium petit*. Habet in hac locum Exordium ex abrupto. Narrationis loco ſtat ſceleris expoſitio, quæ interdum exordium ſupplere poteſt, ut in Vatiniana Oratione. Interdum vita omnis percurritur illius Perſonæ, quam exagitamus: ut Cicero laudatus in Vatinium, & Piſonem fecit. Præcipue vero crimina augenda ſunt, & eorum gravitas amplificanda, ut conſtet quam ab honeſtate, a legibus, a moribus patriis, ab inſtitutis majorum diſcrepent, quæ adferant incommoda, quæ ſupplicia mereantur &c. Peroratio iram, odium, & invidiam conflabit, interdum pudorem.

2 *Objurgatio eſt increpatio perſonæ alicujus*. Plerumque eſt Superioris ad inferiorem. Exordium trahi poteſt a cauſſa Objurgationis: a Vituperatione criminis &c. Poteſt eſſe abruptum. Narratio rem oculis ſubjiciet per hypotypoſim. Confirmatio exaggerabit crimen præcipue ab *adjunctis*. Epilogus lenire poterit Orationem, & oſtendere emendationis, non odii cauſſa nos objurgare, vel crimen rejiciatur in animum vehementiori impetu concitatum, & abreptum. Cieri poteſt pudoris affectus, interdum etiam odii in vitium, vel commiſerationis in errantem, ut caveat impoſterum, & ab errando abſtineat. Atque hic tertius Inſtitutionum Liber deſinat; nam quæ ad *Expoſtulationem*, *Exprobrationem*, *Comminationem* pertinent; ſatis ex iis colligi poſſunt, quæ hucuſque ſunt dicta.

RHETORICARUM INSTITUTIONUM
LIBER QUARTUS.

De Pronuntiatione, & Memoria.

QUid eſt Pronuntiatio?

1 Eſt *apta rerum, & verborum cum dignitate, vocis*, & *corporis moderatio*. Duo enim ſunt, quæ ad pronuntiationem pertinent, ſonus videlicet vocis, & motus corporis. Illud ad aures: hoc ad oculos pertinet. Utrumque *Actio* nominatur.

De vocis moderatione in pronuntiando.

I QUa voce in pronuntiando utendum eſt?

1 Poteſt in voce & *quantitas*, & *qualitas* conſiderari. In pronuntiando igitur, utriuſque ratio habeatur; Generatim, & tanta vox ſit, quanta requiritur, ac talis ſit, quæ cenſeatur maxime convenire, Scire propterea oportet quænam illius virtutes ſint, & quænam ſint vitia.

II Quænam ſunt *vocis*, ad rite pronuntiandum, *virtutes*.

2 Quatuor recenſebibus, quæ ſunt potiſſimæ. Prima eſt *Explicatio*, quæ in eo poſita eſt ut voces clare, & dilucide exprimantur. Propterea Vocales rite proferendæ erunt, Conſonantes, ſive ſimplices, ſive duplices, curandum ut bene ſonent; Lingua opportune vibretur, Os, quantum opus eſt, aperiatur, & is capiatur tonus, qui facile audiri, ac percipi ab Auditoribus poſſit. Cavendum ne poſtremæ ſillabæ deglutiantur, ne verba per ſincopem decurtentur, aut ne extremæ periodorum dictiones languide terminentur.

3 Secunda eſt *Moderatio*, quæ reſpicit, & ſenſuum diſtinctionem, & vocis efferendæ rationem. Neceſſe eſt enim ita vocem regere, ut puncta, commata, & ceteræ interpungendi rationes ſerventur; quo fit ut Auditor ſenſus diſcernat, ac rite intelligat. Hoc fieri nequit niſi vox identidem contineatur, & moderata tarditas adhibeatur, & ſpiritus in Periodo longiori capiatur. *Moderata* inquam *tarditas* adhibenda; nam quantum vox præceps, & perpetuum ruens vitioſa, tantum nimia tarditas Auditori moleſta: ajebat enim in hoc Seneca: *æque ſtillare eum nolo, quam currere*. Celeritatis vitium Tironum eſſe ſolet qui vel metu, vel oſtentatione in id incidunt: *Metu*, ne memoria excidat Oratio: *Oſtentatione*, ut memoriæ promptitudinem manifeſtent. Utrumque indecens. Cavendum præterea ne ſit elatior, quam locus, aut res poſtulet, vel quam vires dicentis ferant. Neque enim tundendæ ſunt immani voce Auditorum aures, neque ita fatigari Oratorem oportet, ut tandem dicendo impar, in ipſa Oratione efficiatur. Inſuper ad vocis *moderationem* pertinet, ne exiliat, aut ſubſultet, ne ab imo ad ſummum, a gravi tono ad acutiſſimum in verbo, aut ſenſu eodem, temere transferatur.

4 Tertia eſt aptatio, quæ efficit, ut vox quæ opportunitati maxime convenit, ea adhibeatur. Aptanda autem eſt rebus, verbis, figuris, affectibus, partibus orationis. *Grandia* cum majeſtate, & gravitate: *læta* cum ſuavitate: *atrocia* cum aſperitate: *blanda* cum lenitate proferantur. In verbis ſignificatio ſpectetur. Non eadem voce E. G. verſiculus ille: *Turgiduli rubent ocelli*: efferendus qua iſte; *Bella, horrida bella, & multo Tibrim ſpumantem ſanguine cerno*. Figuræ vehementes vocem optant validiorem, atque fortiorem. Exclamatio multo elatiorem. Præteritio celeriorem: Interrogatio acriorem. Obſecratio blandiorem: Proſopopeja, ſeu ſermocinatio ei reſpondentem, quem loqui fingimus requirit pronuntiationem. Sic commiſeratio flebili voce fas eſt provocetur; Metus contracta, ac remiſſa; Indignatio alacriori, & concitata &c. Demum in exordio ſit vox temperata, & tonus ille capiatur, quem ſequi velimus in tota Oratione. *Narratio ſimplex* vocem claram exoptat, diſtinctam, & ſimilem illi, qua in fami-

liari ſermone utimur, paullo tamen altiorem, ut audiri poſſit. *Confirmatio* elatiorem deſiderat. *Peroratio graviorem*, & eam, quæ affectuum commovendorum opportunitati conſentiat.

4 Quarta eſt *Variatio*. Nihil enim tam injucundum eſt, quam ſemper eadem, aut iiſdem numeris continenter deſinens cantilena. Quæ de vocis aptatione dicta ſunt, huc item ſunt revocanda. Hinc ille in pronuntiando excellet, qui naturalis loquendi formæ ſit diligens obſervator, & imitator. *In Variatione*, de qua agimus, omnis poſita eſt enuntiandi dignitas: propterea diligenter oportet animadvertere, qua quis voce, quo ſono, qua flexione utatur, quum aliud, aut aliud nativo ſermone pronuntiat; atque illæ inflexiones in mentem redigendæ, quæ ſint efficaciores ad ſignificandum, & exprimendum, ut quum ſimilia proferimus, ſimiliter efferamus.

De Geſtu.

I Geſtus quid ſignificat?

1 Geſtus ea dicitur *pars Actionis, quæ in corporis moderatione poſita eſt*. Hæc vero, & totum corpus dirigit, & certorum membrorum motus.

II Corpus qua ratione moderandum eſt?

2 Corporis ſtatus ſit erectus, & celſus; propterea ut quandam adſpectu dignitatem, ac majeſtatem præſeferat. Decet totum corpus ſimul moveri, non citate tamen, aut præpropere, neque frequentius in utramque partem; hoc enim, aut levitatem, aut inſaniam præbet. Non curvari, non in alteram partem inflecti; nam vel imbecillitatem ſignificat, vel timorem, vel ruſticitatem. Neque facile in hanc, aut illam partem diſcurrendum, ſed progrediendum graviter, ſi illud poſtulare oratio videatur.

III Quænam ſunt membra, quæ in geſtu præcipue accidunt moderanda?

3 Sunt *Caput*, *Brachia*, *Manus*.

4 *Caput* rectum ſit, & juxta naturalem compoſitionem. Ne dejectum, quod humilitatem denotat; ne ſupinum, quod arrogantiam; ne prædurum, quod barbariem, ne in hume-

rum

rum deflexum, quod languorem ſignificat. Ad ſtatum capitis *Colli*, ac *Cervicis* ratio habenda eſt. Ne collum tendatur nimium, vel retrahatur, Nec cervix rigeat, aut langueſcat.

Vultus ad Capitis geſtum pertinet. Neque enim ſemper idem ſit oportet. Hilaris laudantem: triſtis mærentem: acer accuſantem, & reprehendentem: dejectus verecundum, ac modeſtum decet. Cavendum ne quid ruſtici, ne quid ridiculi, ne quid indecori exhibeat. Vultus in eam partem vertendus, quam manus ſignificat, & in qua Auditores reperiuntur; niſi in alicujus rei rejectione, aut deteſtatione.

Oculi item, ita regendi, ut ea ſignificent, quæ dicimus. Ne fixi ſint perpetuo in rem unam; ne ab Auditoribus averſi, ne crebro moveantur, ne nimium comprimantur; ne trabes lacuniarum, aut fornicum concamerationem inſpiciant; ſed intendantur in Auditores, aut in cælum, ſi de cæleſtibus; in terram, ſi de terrenis agatur. Supercilia ipſa aliquid ſignificant, propterea & horum ratio habeatur.

5 *Brachia* non pendeant incompoſita, ne utrumque manibus lateri impoſitis anſarum ſpeciem exhibeat. Dexterum adhibendum. Siniſtrum illi obſecundabit. Cavendum ne illud ſupra oculos attollatur, aut ne poſt humeros alterutrum reflectatur.

6 *Manus*, innumeros motus habent. Fugiendi tamen ii ſunt, qui aliquid indecorum, aut ridiculum exhibent. Ne invicem complodiantur, ne agitentur, ne circumvolvantur; ne quicquid dicitur manibus ſignificetur. Dextera potiſſimum uſuvenit. Ad ſe ipſum eam refert Orator quum de ſe loquitur, eam intendit in alios, ſi quos demonſtrat. A ſiniſtra parte incipit, & in dextra deponitur. Ne ſupra caput tollatur, neque infra pectus demittatur. Siniſtra nunquam ſola utimur, quam tamen dexteræ accomodabimus, ſive in digitos argumenta digerimus, ſive averſis palmis aliquid abominamur, ſive quidpiam innuimus, ſive deprecamur, ſive adoramus &c. Cavendum ab argutiis digitorum; ne micent, aut obſtrepant &c. Generatim omnes ii geſtus vitentur, qui ſcenicum, aut comicum aliquid referunt. Hinc ſibi *femur percutere*, *pectus cadere*, *ride-*

videre, medicorum more arteriæ pulſum explorare, gemitus edere, quos percuſſi faciunt &c. merito a gravitate Oratoria rejiciuntur. Suggeſtum quatere interdum conceditur. Atque hæc de Pronuntiatione dicta ſint ſatis.

De Memoria.

I Quid nomine Memoriæ intelligitur?

1 Poteſt Memoria ſumi pro facultate, quæ nobis a natura data eſt ad memorandum: Pro Actu ipſo memorandi: Ac denum pro facilitate quadam, qua aliquid apprehenditur, ac retinetur. Memoria, ut in præſentia accipitur, *eſt firma rerum, ac verborum, eorumque diſpoſitionis recordatio.*

II Quotuplex genus memoriæ adſignari ſolet?

2 Duplex; nam alia *Naturalis* dicitur: alia *Artificialis*. Naturalis eſt ea memorandi vis, quæ nobis indita, & nobiſcum nata eſt. Artificialis eſt adjumentum quoddam, quo nativa memorandi vis magis exeritur, adhibita rerum quarundam notiorum ſerie.

III Poteſt ne memoria naturalis aliqua ratione adjuvari?

3 Juvatur ratione victus, & exercitationis corporis; Juvatur animi tranquillitate; Loci ſolitudine, Matutino, aut veſpertino tempore; moderato lumine; rerum quæ memoriæ mandandæ ſunt, certo ordine; Codicis, ad rem diſcendam, unitate; Perpetua ac ſolerti exercitatione. Hæc ſunt præcipua ad fovendam memoriam adjumenta.

4 Quod ſi artificiali memoria uti velis; eam ſcias in locis, & imaginibus eſſe poſitam. Sit tibi locus quidam notiſſimus, atque huic per ſingulas partes, earum rerum imagines appone, quæ facile recordationem excitent illorum, quæ cupis perdiſcere. E. G. Sint domus tuæ, Janua, veſtibulum, ſcalæ, aula, cubiculum. Affiges valvis, dextroque, ſiniſtroque veſtibuli parieti, ſingulis ſcalarum gradibus: feneſtris aulæ, cubiculi lateribus &c. peculiarem imaginem; ſint autem imagines aptę ad id repræſentandum, quod memoriter ſis prolaturus. Tum ea tibi loca notiſſima percurrantur. Fiet ut imaginum illarum intuitu, ordine omnia ſuppetant, quæ velis enuntiare. Vincentius Gallus Rhe-

Rhetor e mea Congregatione præſtans æque ac perveтuſtus, cujus quidem optimis præceptionibus ante centum annos evulgatis, per hanc vero ætatem rarioribus, plurimum in univerſo hoc opere compingendo me debere profiteor, illud affert Virgilii carmen.

Cornua velatarum obvertimus antennarum,

atque hæc ſubdit. *Ubi verſum legeris, & intellexeris colloca in veſtibulo domus cornua duo tauri; in limine primo vela duo, in ſecundo Viros duos, qui reſpondeant ſe obvertere antennas. Tum repete ſemel, & iterum imagines; ex ordine, propoſitum facile obtinebis.* Hæc Gallus, quæ ſi quidquam prodeſſe poſſint, eo a nobis relata ſunt, ut diſcentium memoriæ præſidio accidant. Sin minus præſtabit id didiciſſe, quod celebres Viri in hac re ceterum non inutili, tradiderunt. Nos univerſæ tractationi finem imponimus: Quod Felix, Fauſtumque accidat ſtudioſæ dicendi artis Juventuti, Gloriæque vertat Dei Optimi Maximi Incomparabilis, Matriſque ejus divinæ, Summique Apoſtolorum Principis, Doctoriſque Gentium.

Rhetoricarum Inſtitutionum

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX EORUM

Quæ in univerſo Opere continentur.

HUMANIORUM INSTITUTIONUM

LIBER I.

De Elocutione.	Pagina 1
Elocutionis virtutes.	2
De Elegantia.	2
De Puritate.	2
De Perſpicuitate.	6
Scriptores, a quibus puritas, & Elegantia hauriri poſſunt.	7
De Compoſitione.	9
De Periodo.	10
De Periodi, & conciſæ orationis uſu.	15
De Ornatu.	16
De Tropis.	16
De Metaphora, & Allegoria.	17
De Syneedoche, & Metonymia.	20
De Antonomaſia, & Hyperbole.	25
De Ironia, & Sarcaſmo.	26
De Figuris generatim.	28
De Figuris Verborum.	29
Earum Claſſes.	29
Repetitio.	29
Converſio.	30
Complexio.	30
Conduplicatio.	31
Diſſo utio.	31
Trajectio.	31
Annominatio.	32
Similiter cadens.	32
Similiter deſinens.	33
Compar.	33
De Figuris ſententiarum.	33
Interrogatio.	34
Subjectio.	34
Suſtentatio.	35
Dubitatio.	35
Communicatio.	36
Conceſſio.	37
Correctio.	38
Licentia.	38
Praoccupatio.	38
Deſcriptio.	39
Interpretatio.	40
Expolitio.	41
Incrementum.	41
Gradatio.	41
Congeries.	42
Diſtributio.	43
Prateritio.	43
Contrapoſitum.	44
Nefas dictu.	45
Paradoxum.	45

Em-

Emphaſis. 45
Epiphonema. 46
Apoſtrophe. 46
Exclamatio. 47
Deprecatio. 48
Imprecatio. 48
Ominatio. 48
Proſopopeja. 49
Sermocinatio. 49

LIBER II.

De Amplificatione. 51
De Amplificatione per verba. 52
De Amplificatione per Locos Oratorios. 54
A Definitione. 55
A Notatione, & Conjugatis. 57
Ab Enumeratione. 59
A Genere, & ſpecie. 62
A Simili, & Diſſimili. 64
Ab Oppoſitis. 70
Ab Adjunctis. 71
Ab Antecedentibus, Conſequentibus, & Repugnantibus. 76
A Cauſſa, & Effectis. 78
A Comparatione, Exemplo, & Fictione. 82
De Locis extrinſecis. 87
Appendix de Tranſitionibus. 88

LIBER III.

De Variis componendi characteribus. 91
De Magnifico ſcribendi ſtilo. 92
De Stilo tenui. 94
De Stilo medio. 95
De vitiis in componendo. 97
De uſu diverſi in dicendo characteris. 98
De conſcribendis Epiſtolis generatim. 99
Epiſtolarum genera, & partes. 99
Dotes, ac ſtylus. 100
Varia epiſtolarum formula ex Tullio. 101
Exordia, & clauſulæ. 101 & 102
De epiſtolis, quæ generis Demonſtrativi. 102
Narrans, ſeu nuntians. 102
Gratulatoria 103
Gratias agens. 104
Jocoſa. 105
Officioſa. 107
Lamentabilis. 107
Diſputatrix. 108
Nuncupatoria. 109
De Epiſtolis ad deliberativum genus ſpectantibus.
Hortativa. 109
Dehortans. 110
Conſolatoria. 111
Petitoria. 112
Commendatitia. 113
De Epiſtolis ad Judiciale genus pertinentibus.
Accuſatoria. 113
Excuſans. 114
De Narrationibus generatim. 115
De Fabula. 116
De Hiſtoricis, ornatiſque Narrationibus. 119

Exem-

Exempla Narrationum ex Tullio. 121, 123

LIBER IV.

De quibuſdam Exercitationibus ad ornandum, & amplificandum idoneis.
De Deſcriptionibus. 124
Earum ſpecies. 124

Hypotypoſis exempla ex Tullio.

De Damocle Regali menſa donato. 125
Verris luxurioſa, ac mollis vivendi ratio. 125
Verris Convivia. 126
Convivium luxurioſum. 126

Ex Cæſaris Commentariis.

Pompeii Caſtra. 127

Ex Virgilio.

Cyclopes. 127
Alia numero quinque innuuntur.

Ethopejæ Exempla ex Livio.

Hannibalis indoles. 127

Ex Salluſtio.

Sempronia. 128

Ex Virgilio.

Dido inſaniens. 128
Turnus. 128
Alia numero tria exempla ponuntur. 129.

Proſographiæ exempla ex Tullio.

Gabinii Conſulis. 129
Calphurnii imago. 129

Ex Virgilio.

Turnus agmen ducens. 129
Serpentes Laocoontem petentes. 130
Alia tria ejuſdem exempla. 130

Somatopejæ Exempla ex Virgilio.

Fama. 130
Alecto. 130
Charon. 131
Scylla. 131
Tybris. 131

Ex Ovidio.

Fames. 131

Topographiæ Exempla ex Tullio.

Syracuſa. 132

Ex Cæſare.

Aleſia Urbs. 132

Ex Virgilio.

Portus Carthaginis. 133
Ædes Latini Regis. 133
De Chria. 134
Ejus ſpecies. 134
De Chria partibus. 134
Chria verbalis exempla Ex Rethore ad Heenium. 135
Ex Tullio: De offic. lib. 3. 136

RHE-

RHETHORICARUM INSTITUTIONUM

PROLEGOMENA.

De Rhetorica generatim. 141
De materie Rhetorices. 142
De partibus Rhetoricæ. 143

LIBER I.

De Inventione. 145
De variis argumentationum generibus. 146
De Syllogiſmo. 147
De Enthymemate. 148
De Inductione. 149
De Exemplo. 151
De Dilemmate. 151
De Sorite. 151
De Epicheremmate. 152
De diverſis Cauſarum generibus. 153
De Genere Demonſtrativo. 155
De Laude Perſonarum. 155
Ab iis, quæ ſunt extra. 156
A bonis corporis. 158
A bonis animi. 159
De laude rerum. 162
De Genere Deliberativo. 164
De argumentis ad ſuadendum, vel diſſuadendum. 165
De uſu argumentorum in ſuadendo, vel diſſuadendo. 168
De Genere Judiciali. 169
De ſtatu conjecturali, & opportunis ad eum argumentis. 171
De conjecturis ex Cauſſa. 171
De conjecturis ex Perſona. 172
De conjecturis ex Facto. 175
De ſtatu definitivo. 177
De ſtatu qualitatis. 179
Argumenta in ſtatu Aſſumptivo. 180

LIBER II.

De Diſpoſitione. 183
De Exordio. 184
De Exordiis abruptis. 185
De ceteris Exordiis, Principio nempe, & Inſinuatione. 186
De Præjudiciis in Exordio amoliendis. 187
Præjudicia ex cauſa. 187
Præjudicia ab Auditoribus. 190
Præjudicia ab Oratore. 193
Præjudicia a Reo, & Adverſario. 194
De fontibus Exordiorum generatim. 197
De locis ad benevolentiam, docilitatem, & attentionem. 201
De economia, ſtylo, virtutibus, ac vitiis Exordii. 204

De

De Propoſitione. 206
De Narratione. 208
Narratio Miloniana, cum artificiis ejuſdem. 210
De Confirmatione. 213
De Syllogiſmo Oratorio tractando. 215
De Enthymemate Oratorio. 218
De cæteris Argumentationibus 219
De Confutatione. 220
De Peroratione. 222
De Affectibus. 223
Amore, & Odio. 223
Miſericordia, & Indignatione. 225
Ira, & lenitate. 227
Metu, & Confidentia. 229
Pudore, & Impudentia. 231
Lætitia. 232

LIBER III.

De variis Orationum ſpeciebus.
De Oratione Panegyrica. 233
Gratulatoria, & Gratias agente. 235
Natalitia. 238
Funebri. 240
Orationes quædam generis Deliberativi. 243
Oratio ad commonendum. 243
Oratio Petitoria. 244
Oratio ad Conſulandum. 244
De Orationibus, quæ ſpectant ad genus Judiciale. 245

LIBER IV.

De Pronuntiatione, & Memoria. 246
De vocis Moderatione. 246
De Geſtu. 248
De Memoria. 250

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] Google